AMOENITATES LITERARIÆ,

Quibus

VARIÆ OBSERVATIONES

Scripta item quædam anecdota & rariora Opuſcula exhibentur.

TOMVS OCTAVUS.

FRANCOFURTI & LIPSIÆ,
Apud DANIEL. BARTHOLOMÆI,
M DCC XXVIII.



PERQVAM GENEROSO
ATQVE
CONSVLTISSIMO

DOMINO DOMINO

TOBIÆ HERMANNO

JVRISCONSVLTO CONSVMMATISSIMO SERENISSIMI ATQVE CELSISSIMI PRINCIPIS AC DVCIS WIRTEMBERGICI, ETC.
CONSILIARIO DIGNISSIMO
ET
REIPVBLICAE MEMMINGENSI A SECRETIORIBVS CONSILIIS
VIRO DE PATRIA MERITISSIMO

DOMINO ET MAECENATI
SVO SVMMOPERE DE-
VENERANDO

SEQVE SVVMQVE LIBELLVM
SACRATVM DICATVMQVE
CVPIT

J. G. SCHELHORNIUS.

Pri-

PRidem in ære TVO ſum, immo totus TIbi, quantuluscunque ſum, mancipatus, VIR PERQVAM GENEROSE, qui ea hactenus me immerentem benevolentia proſecutus es, quanta ſolet

esse, cum est maxima. Tantum vero abest, ut levidensi hac charta nominibus solvendis me parem esse existimem, ut ea potius, veluti syngrapha, æternum TVVM debitorem me publice profiteri gestiam, qui, quicquid in me est virium, TVIS nutibus ex asse devotum ardentissime cupio. Exposituro certe mihi sanctissimum illum cultum, quo summa TVA in patriam merita, quo inusitatam TVAM humanitatem, quo promtissimam animi TVI maximis rebus tractandis

aptiſſimi vim, quo admirandam conſiliorum præſentiam, quo incredibilem in eo honorum faſtigio moderationem, reliquarumque rariſſimarum virtutum congeriem in TE obviam demiſſe veneror, verba deſunt, verbaque exquiſiturum tanta rerum in TE ſummo jure laudandarum copia obruit, ut nihil, quam parum dicere malim. Neque opus eſt, ut multis ea prædicentur elogiis, quæ omnium, qui TE norunt, oculis ſunt expoſita. Norunt cives noſtri,

ſtri, quantos in eo jam, quo viges, ætatis flore pro patriæ commodis auſpicato domi forisque in ampliſſimis legationibus exantlaveris labores, ædesque TVAS venerabundi ſuſpiciunt, e quibus conſilii inopes & afflicti nonniſi lætiores ac ſublevati redire queunt: ut noſtratium neminem eſſe arbitrer, qui TE non amet, & revereatur eximie, TIBIque perpetuam incolumitatem & fauſta animitus apprecatur omnia. Venerantur prudentiam & æquitatem TV-

AM

DEDICATIO.

AM exteri, qua plus ſimplici vice graviſſimas lites inter eos exortas AVGVSTISSIMI NOSTRI IMPERATORIS, quem DEVS ſervet! juſſu feliciter compoſuiſti, resque collapſas ad votum reſtituiſti: Æſtimant TE infimi, medioxumi, ſummi, ipſique etiam in celſiſſimo dignitatis apice locati. Talis autem cum ſis, non poſſunt non & Muſæ, quarum patrocinium inter tot publicas curas haud invitus geris, in TVVM, MAECENAS, confugere ſinum.

Non enim dedignaris id, quod a Republica administranda TIBI ſupereſt, temporibus illis tribuere, mentemque, aliis laboribus laſſatam, literarum ſtudiis refocillare. Permitte igitur, quæſo, ut hoc, quicquid eſt opuſculi, Venerabili TVO Nomini inſcribam, ſimulque in Orbis eruditi conſpectu me cultorum TVORVM devotiſſimum profitear. Mei ſane ante obliviſcar,

Et prius e feſſo ſecedent corpore ſenſus,

quam

quam favoris TVI & beneficiorum in me profuſorum me capiat oblivio. Servet TE præpotens Numen cum GENEROSISSIMA CONIVGE & Charitibus TVIS quovis deſiderandæ hominibus proſperitatis genere mactatum, ac in poſterum etiam res a TE cum publice tum privatim gerendas ſecundet!

Ita vale, *O rerum TV grande Decus Columenque mearum*, ac porro

TIBI

DEDICATIO.

TIBI me commendatum habe.

Dabam Memmingæ A. O. R. M DCC XXVII. d. 6. Decembris.

Con-

Emendanda & addenda.

In Tom. VII. p. 6. lin. 4. leg. Verum. p. 104. l. 23. Carniola. & l. 25. Carniolæ. p. 118. l. 22. notisque pro nobisque. p. 120. l. 5. poſt *triumphati* add. olim. p. 177. l. 15. Apulejî l. 18. impoſtura, Arithmetica philoſophica. p. 178. l. 13. initiationis. l. 34. *κοσμογονία*. p. 179. l. 28. & ſæpius lege Pythagoras pro Phytagoras. p. 182. l. 14. *καλαχωρίσαι*. p. 187. l. 14. THOM. p. 188. l. 6. *ἐπιμιλεῖσθαι*. l. 16. ceremoniarum inctedendas pro *in ceremoniarum credendas*. l. 20. & quos pro *quos*. p. 190. l. 9. eorum. l. 22. *ἴσως*. p. 193. l. 26. SCHEFFER. p. 194. l. 14. *πυθαγόρας*. p. ead. add. imprimis vero multus in probandis Pythagoræ ſcriptis fuit LEO ALLATIVS in Diſſ. de ſcriptis Socratis p. 81. ſq. p. 195. l. 20. add. & qui Allatii rationibus abunde ſatisfecit B. Gottfrid. Olear. in diatrib. de ſcriptis Socratis in Stanleji Hiſt. Phil. P. III. c. 18. p. 198. ſqq. p. ead. lin. penult. add. & Fabric. Bibl. Gr. L. II. c. 12. p. 451. ſqq. p. 196. l. 4. coævus. p. 198. l. 3. add. conf. Fabric. l. c. p. 456. pag. ead. l. 9. *ὀυδεὶς*. l. 23. de Diis. p. 199. l. 20. add. Diogenem vero Laërtium male & contra verborum fidem ad Heracliti provocare teſtimonium, evidentibus rationibus probavit Cel. Fabric. Bibl. Gr. L. II. C. 12. p. 453. & ante eum Dodwellus de ætat. Pythag. p. 119. quos vide. p. 200. l. 26. *τετάρτην φυλαχθῆναι*. p. 201. l. 9. *θυγατρὸν*. l. 10. *δοῦναι*. p. 202. l. 6. *δίδοσθαι*. l. 7. *πολιῶσθαι*. p. 204. l. 3. HOLSTENIO. l. 18. Aegyptiorum. p. 207. l. 22. *ἴδιον*. l. ult. alium. p. 208. l. 23. *ἀνεγκαλοῦσι*. p. 210. l. 13. add. quanquam ipſum Pythagoram, utpote Samium, verosimiliter non abhorruiſſe ab Jonica dialecto probe obſervat Cel. Fabric. Bibl. Gr. L. II. C. 12. p. 456. p. 211. l. 23. indeque. p. 212. l. 17. Huom. pro Guom. p. 214. l. 17. deluſa. p. 220. l. penult. apud hanc pro hanc. p. 225. l. 6. HIEROCL. l. 23. ex quo. p. 229. l. 6. *πυγὼν*. p. 231. l. 6. ex iis pro *iis* l. 24. *θῆλυς*. p. 232. l. 18. *ἀῤῥενόθηλυς*. p. 233. l. 9. laudavimus. p. 239. l. 26. vinculis pro cingulis. p. 244. l. 17. reminiſcentia. p. 248. l. 18. numerorum. p. 263. l. 23. poſt *Petrus* add. Paulus p. 295. l. 2. poſt *combuſtis* add. diſſertatio. l. 13. Vallinus.

In Tom. VIII. p. 300. l. 3. Platonis pro Platonicis. l. 18. poſt *Apolog.* add. pag. p. 302. l. 21. poſt *ut* add. h. p. 302. l. 17. pro *vel* leg. id. p. 303. l. ult. anache. p. 304. l. 2. contenter. l. 18. Epicharmum. p. 309. l. 25 *ἀπαίδων*. l. 26. *ἀνεζωπύρει*. l. 27. *ἀνεσωζε*. p. 311. l. 16. *φερόντων*. *Καὶ ὡς*. l. 17. *τέλακλας*. l. 18. *ἀφυβρισθεὶς* l. 19. *μᾶλλον*. p. 312. l. penult. *πολεμοῦσι*. p. 314. l. 1. *ἀσώματον*. l. 2. *γενόσεσθαι*. l. 15. *ψυχῆσι*. l. 16. *γίνεσθαι*. p. 316. l. 15. conciliari. p. 317. l. 21. alii, quorum. p. 318. l. 20. *ἐνευσεχόντα*. l. 22. *ἰσὸν*. p. 320. l. 5. æquore. l. 9. quas. l. 19. poſt *nihil* add. iis. p. 321. l. 7. Caronem. l. 12. Lariſſæus. l. 13. eum. l. 26. meliora. p. 325. l. 23. creaturum. p. 326. l. 21. Apocryph. l. 24. *ἀῤῥενόθηλυν*. p. 327. l. 10. poſt §. 7. add. p. l. 12. pro T. I. d. T. II. p. 329. l. 1. Peripateticos. p. 330. l. 1. turgidæ. l. 17. merito. p. 331. l. 7. tidet. p. 333. l. 23. ſequantur. p. 336. l. 12. *τοῦτο*. l. 15. *ἐκγο-*

ἐπιστυφόμενος. p. 340. l. 1. vinum. l. 21. diſcorpeos. p. 343. l. 14. adſcriptum. p. 344. l. 14. vulgare. p. 346. l. 5. ſuffuſione. p. 347. l. 24. poſt *congregationum* add. et. p. 348. l. 3. rigor. p. 350. l. 19. poſt *unde* - add.

- Octoginta annos natus, cui ſtragula veſtis,
Blattarum ac tinearum epulæ, putreſcat in arca.

p. 352. l. 8. proſcriptis. p. 356. l. 4. poſt *auribus* add. &. p. 358. l. 10. Monachi. p. 362. l. 18. poſt *ejus* add. filii. p. 378. l. 26. Vid. de eo D. p. 388. l. 9. Il comprit ma. p. 405. l. 20. Kitchen-ſiuen baco- p. 409. l. 13. Kemp. p. 417. l. 15. poſt *temporis* add. forſan. l. 24. poſt *ſemper* add. fere. p. 443. l. 13. poſt *providentia* add. divina. p. 445. l. 15. poſt *intus* & add. in. l. 18. vel. p. 446. l. 19. poſt *σύνδεσις* add. ἰσχὰ. l. 20. poſt *σχεδὸν* add. ἢ. l. 23. εἰς. l. 25. ἰσλεσόλης. p. 447. l. 18. ſunt. p. 448. l. 16. poſt *paſſim* add. obvia. p. 450. l. 11. ſuæ naturæ. l. 16. ſubtiliſſimam. l. 24. connexis. l. 26. probari poſſem pro *probata eſſet*. p. 451. l. 22. illa. l. 24. unoque. p. 452. l. 18. quem. l. 22. εἰς & ζῶα. p. 453. l. 13. quoque. p. 470. l. 4. Superiori. p. 473. l. 18. Hiſtoriam. p. 483. l. 17. JOS. p. 497. l. 6. inridere. p. 500. l. 21. A. MDCXLVI. p. 510. l. 13. poſt *variis* add. pœnis.

Cæterum & loco & pluribus in vocabulis typothetarum incuria adhibuit, diſtinctiones item ſæpe perperam poſuit, ac literas majuſculas cum minoribus mutavit & vice verſâ.

Contenta Tomi VIII.

I. *Jac. Bruckeri Supplementum II. ad Hiſtoriam Philoſophicam Doctrinæ de Ideis.* pag. 299

II. *De variis pœnis in libros ſtatutis.* 338

III. *Epiſtola critica de punctis controverſiæ Kempiſianæ præcipuis.* 391

IV. *De providentia divina ſectæ Stoicæ.* 443

V. *Spicilegium obſervationum de Jo. Aventino ejusque Annalibus Bojorum.* 455

VI. *Diſ-*

VI. *Dissertatio I. de libris publica auctoritate combustis.* 463

VII. *Judicium Magistrorum Academiæ Pragensis de propositionibus quibusdam Jo. Munsingeri.* 511

VIII. *Julii Cæsaris Scaligeri Epistolæ nonnullæ.* 554

IX. *Epistolæ quædam Baluzii, Schilteri, Mabillonii & Ruinarti.* 622

X. *Additamenta ad vitam Eliæ Ehingeri.* 646

I.

SVPPLEMENTVM II.

Ad

Hiſtoriam Philoſophicam

DE IDEIS,

Varia Παραλειπόμενα & Illuſtrationes Complectens.

AD HISTOR. PHILOS. DE IDEIS.

Sect. I. §. 2. not. a. p. 5.

INtelligi apud Chaldæos per Jyngas ideas, adductis ex oraculis Zoroaſtri affictis locis probavimus. Obſcurum vero, quid Jynges, & cur ideæ ita dicantur?

Symbolo enim & figurata dictione, ut Orientis philoſophis, & poſt eos Pythagoræ quoque & Platonicis aſſeclis ſolenne fuit, hæc quoque doctrina expreſſa eſt & adumbrata. Eſt vero Jynx avis maculoſis plumis, collo oblongo, lingua admodum protenſa, caudam pariter atque cervicem immoto corpore movens, unde motacilla aliis, aliis torquilla, & Græcis quoque σειοπύγιον dicta: meminitque ejus ARISTOT. *denat. animant. l. II.* Celebris iſta avis in veterum incantationibus, præſertim in conſtruendis philtris adhibita, & ad provocandos amores magna vi gaudere credita, ut videre eſt apud THEOCRIT. *in Pharmaceutriis.* Meminit ejus inter Magica Lævius Poëta, cujus locum nobis ſervavit APVLEIVS in *Apolog. m.* 209. ed. Petr. Scriv.

Philtra omnia undiquaque eruunt,
Antiphates illud quæritur,
Trochiſci, iynges, taniæ
Radiculæ, herbæ, ſurculi,
Aureæ ilices, bichordilæ
Hinnientium dulcedines.

ad quem locum videndus CASAVBONVS. Inde dictæ Ἰυγγες ἐρωτικαὶ apud EVSTATH. *de Iſmenia & Iſmenes amor. l. I.* AELIANO

l. III

l. III. Hiſt. Animal. c. 17. idem ſunt, quod Hippomanes, quod incantandis & ad amorem movendis hominum animis deſtinatum medicamen fuiſſe docet VIRGILIVS *Georg. l. III. v.* 281. & alibi. Ex his non ſine veri ſpecie colligimus, ideas eapropter dictas eſſe iyngas, quod rebus omnibus producendis & per amorem uniendis deſtinatæ, rerum generationi quam per amorem indicavere veteres, inſerviant, & inconſpicuam formam in conſpicua materia quaſi generent & producant. Ita enim Oracula v. 99.

Καὶ τ' ἀφανῆ εἰς τὴν ἐμφανῆ κοσμοποιΐαν ἐγγεάφοντες.

Et latentia in manifeſtam mundi generationem inſcribentes.

Intelligi hoc loco angelos Dei amore flagrantes ſtatuit OTTO HEVRNIVS *Antiq. philoſ. barb. l. II. c.* 4. *p.* 129. nec abludit prorſus JO. CLERICVS V. C. in *not. ad l.* Materiales dæmonas intelligi credens. Sed id ipſis Oraculi verbis contrarium eſſe videtur, quod ipſis Φύσιν νοερὰν, *naturam intellectualem*, νοερὸν τύπον ἄφθιτον, *intellectualem typum incorruptibilem*, *v.* 106. 107. adſcribit. Sunt vero ſecundum IAM-

BLICH *de Myſter. Ægypt. Sect. I. c. 20. p. 36.* edit. Oxon. dæmones συμφυεῖς πως καὶ ἀχώριστοι τῶν ὑφ' ἑαυτῶν διοικουμένων, *quodammodo connati, & inſeperabiles ab iis rebus, quas adminiſtrant*, id eſt, ex corporea materia cui præſunt, aliquid trahunt, quod naturæ idearum ab Oraculis deſcriptæ prorſus eſt contrarium.

Ad §. III. p. 19.

Inter reliquas, quas fuſe explicuimus, obſcuritatis Platonis cauſas referenda merito & hæc eſt, quod haud raro non ſua, ſed aliorum placita profert & defendit. Id quod Platonis ſcripta legenti obſcurum eſſe non poteſt, & manifeſto exemplo ejus dialogus, Parmenides dictus, docet, in quo vel imprimis evincere laborat, omnia eſſe unum, quod tamen hypotheſibus ab eo aſſumtis, immo ipſi, qualem nobis deſcriptam dedit, idearum naturæ plane eſt contrarium. Etſi enim verum eſt, quod DIOG. LAERT. *l. III. ſ.* 53. monet, εἰσὶ οἱ ξένοι οὐχ', ὥς τινες ὑπέλαβον, Πλάτων καὶ Παρμενίδης, ἀλλὰ πλάσματα εἰσιν ἀνώνυμα. *Non ſunt peregrini, ut quidam opinantur, Plato & Parmenides, ſed figmenta ſine nomine ſunt*: negasi

gari tamen non poteſt, in dialogo iſto longe alia dogmata reperiri, quam in ceteris, id quod rectiſſime jam obſervavit JO. BAPT. CRISPVS *de Platone caute leg. diſſ. I. l. 1. p.* 8. in complurimis a Parmenide diſſenſiſſe Socratem in Sophiſta & Theæteto, unde ſobrie monitum AEGID. MENAG. *ad Laërt. l. III. ſ. 52. p. 157. ſedulo in Platonis dialogis legendis diſtinguendum, quæ Platonis, quæ aliorum ſit ſententia.*

§. Eod. not. i. p. 28.

Eleganti HVETII loco de ambiguitate & incertitudine Platonis addi meretur alter non minus elegans *de la foibleſſe de l'eſprit humain l. IV. ch.* 14. *p.* 107. *Platon pere & inſtituteur de l'Academie dreſſé par Socrate dans l'art de douter, & ſe declarant ſon ſectateur, prit Sa maniere de traiter les matieres, & entreprit de combattre tous les philoſophes, qui l'avoient precedé. Ce n'eſt pas ſeulement dans ſes livres, qu'on appelle Gymnaſtiques, mais lors même qu'il paroit plus affirmatif, ſoit qu'il faſſe parler Socrate, ſoit qu'il enfaſſe parler un autre, qu'il n'avance rien, comme veritable, mais ſeulement comme vraiſemblable, & qu'il s'attaete, a Sa maxi-*

me, qu'il faut laiſſer la connoiſſance de la verité aux Dieux, & que nous devons nous contenter de la recherche de ce qui eſt probable. Conf. tamen, quæ poſt pauca. *p.* 30. *Hr. de ideis* ex Laërtio adduximus.

Ad pag. 35.

De contortis quorundam Platonis interpretamentis videndus etiam P. BAELIVS *Dict. Hiſt. cr. T. III. art. Sa deur, not. F. p.* 2509.

Ad pag. 46.

Ex nihilo nihil fieri tam certum atque evidens omnibus gentilium philoſophis viſum fuit, ut huic fundamento & principio totum ſyſtematum ſuorum longe abſurdiſſimorum & falſiſſimorum ædificium ſuperſtruerent. Hinc frequens ejus paſſim mentio. Præter Epichannum enim, de quo l. c. ex Pythagoræ Schola OCELLVS quoque LVCANVS *de univ. c. I. §.* 11. ἀμήχανον γὰρ τὸ ὂν ἐκ τῶν μὴ ὄντων ἀποτελεῖσθαι, εἰ εἰς τὸ μὴ ὂν ἀναλυθῆναι, *Impoſſibile enim, ens ex non ente poſſe perfici, vel in non ens reſolvi.* Ita & aliæ ſectæ; Democrito enim apud

apud LAERT. *l. IX. ſ.* 44. placuit: μηδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, μηδὲ εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι, *nihil ex eo, quod non ſit, fieri, neque in id, quod haudquaquam ſit, corrumpi*, quod Democrito quoque PLVTARCH. *adv. Colot.* tribuit: aſſeclam habuit Diogenem Apolloniatem, inter cujus placita hoc refert DIOG. LAERT. *l. IX. ſ.* 57. οὐδὲν ἐκ τοῦ μὴ ὄντος γίνεσθαι, οὐδὲν εἰς τὸ μὴ ὂν φθείρεσθαι, pariter Epicurus apud EVND. *l. X. ſ.* 38. οὐδὲν γίνεται ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, πᾶν γὰρ ἐκ παντὸς ἐγίνετ' ἂν, σπερμάτων γε οὐδὲν προσδεόμενον. *Nihil fuit ex eo, quod non eſt. Omne enim ex omni fieret, ſeminibus nihil indigens.* Ex hac hypotheſi utriusque, Democriti & Epicuri de æternitate & infinitate atomorum orta eſt opinio, ut latius videre eſt apud GASSEND. in *Animad. ad l. X. Laërt.* Magiſtri ſententiam verbotenus expreſſit LVCRETIVS *l. I.*

Nullam rem e nihilo gigni nil poſſe creari
De nihilo - - -
Nam ſi de nihilo fierent, ex omnibus rebus
Omne genus naſci poſſet, nec ſemine egeret.

Nec ARISTOTELES aliter, qui *Phyſic. l. I. c. 4. τὸ γινόμενον ἐκ τῶν μὴ ὄντων γίνεσθαι ἀδύνατον, ex nihilo fieri id, quod factum eſt, impoſſibile.* Immo & Stoici in eandem ſententiam diſceſſerunt, ex quibus Imperator ANTONIN. *l. IV. §. 4. οὐδὲν ἐκ τοῦ μηδενὸς ἔρχεται, ὥσπερ μηδ' εἰς τὸ οὐκ ὂν ἀπέρχηται nihil enim aut ex nihilo provenit, aut ad nihilum redit*, conf. *l. V. §. 13.* Fœcunda hæc multorum errorum apud Stoicos origo, emanaſſe ex DEO, vel potius eſſe partem DEI non animam tantum noſtram, ſed & creaturas omnes, reditura omnia in Jovem, perpetuis periodis omnia abſolvi, cunctis in priſtinum chaos redeuntibus & iterum ex eo prodeuntibus; quo ſenſu SENECA *ep. 36. Quod ſi tanta cupiditas longioris ævi te tenet, cogita nihil eorum, quæ ab oculis abeunt, & in rerum naturam, ex qua prodierunt, ac mox progreſſura ſunt, recondantur, conſumi;* & porro: *videbis in hoc mundo nihil extingui, ſed vicibus deſcendere ac reſurgere.* Immo omnem antiquitatem, cunctosque veterum phyſiologos hanc recepiſſe doctrinam, aliquot locis aſſerit ARISTOTELES & CICERO, quæ, ne nimii ſimus, vid. apud TH. GATAKERVM *ad l. c. Antonini p. m. 130.* qui quoque ſenſus

eſt

eſt verborum PERSII *Satyr. III. v. 78. ſeqq.* canentis:

- - - Non ego curo
Eſſe quod Arceſilas, aerumnoſique Solones,
Obſtipo capite & figentes lumine terram,
Murmura cum ſecum, & rabioſa ſilentia rodunt,
Atque exporrecto trutinantur verba labello,
Aegroti veteris meditantes ſomnia: gigni
De nihilo nihil, in nihilum nil poſſe reverti.

Quibus verbis Poëta laborioſam veterum philoſophorum induſtriam cum principio hoc ſyſtemata ſua apte connectendi ſatis acri Sale Satyrico perfricat. Ex impuris his fontibus hauſerunt eundem errorem Cabbalæ impurioris doctores, inter quorum principia, hoc primum & κεφάλαιον ponit HENRIC. MORVS in *Fundam. Kabb. Aetopaedomeliſſea*; ex nihilo nihil poſſe creari, ac proinde nec materiam creari poſſe; conf. S. Rev. BVDDEVS *Introd. in Hr. Phil. Ebr. §. XLIV. p. m.* 326. Et hic quoque genuinus fons eſt omnium hypotheſium, emanationem

entium ſpiritualium ex Deo eorumque reductionem in DEum ſtatuentium, quam Pythagoræ quoque & Platoni recte adſcribi notavimus in Sched. *de conv. num. Pythag. cum ideis Plat. Amænit. liter. T. VII. p.* 216. *ſeqq.*

§. V. not. s. p. 65.

Inter eos, qui contendunt, Platonem ideas ab intellectu divino non ſeparaſſe, referendus quoque eſt THOM. GALE in *not. ad Jamblich. de myſter. Aegyptior. p.* 299. qui quoque locum PROCLI hac de re affert. Videndi quoque quos laudat RAPIN. *Opp. T. I. p.* 322. 323. Potiorem enim eruditorum partem ad recentiorum Platonicorum, non quid Plato docuerit ſed docere debuerit, explicantium effata tantum reſpicientem, huic ſententiæ adhærere negari, non poteſt.

§. VI. not. x. p. 96.

Animas ex DEO eſſe non obſcuris Platonis effatis probavimus. Succinunt magiſtro aſſeclæ, ex quibus præcipue laudavimus Hieroclem; cui addendus merito JAMBLICHVS *de myſt. Ægypt. Sect. VII. c.* 6. *p.* 162.

162. Ed. Oxon. cujus certe locus, cum luculentus admodum ſit, & Pythagorica cum Platonicis in hoc argumento eadem prorſus ſint, omnino notari meretur. Ita vero diſerte: Δύο ἔχει Ψυχὰς, ὡς ταυτά φησι τὰ γράμματα, ὁ ἄνθρωπος· Καὶ ἡ μὲν ἔστι ἀπὸ τοῦ πρώτου νοητοῦ μετέχουσα, καὶ τῆς τοῦ δημιουργοῦ δυνάμεως, ἡ δὲ ἐνδιδομένη ἐκ τῆς τῶν οὐρανίων περιφορᾶς, εἰς ἣν ἐπεισέρπει ἡ θεοπτικὴ Ψυχή. *Homo duas habet animas, quod ipſa ſcripta* (Mercurii) *oſtendunt, una eſt a primo intelligibili, participat etiam a potentia opificis, altera vero nobis inditur ex circuitu cœleſtium* (mundorum) *ad quem anima* DEum *ſpeculatura revertitur*; ita enim vertit GALEVS, qui tamen in *not. ad h. l. p.* 307. vocem θεοπτικὴ Ψυχὴ aliter, & noſtro quidem judicio, melius explicat, quod ſit *illa prior, quæ inſinuatur in hanc inferiorem, & in ea quaſi nidulatur*. Ubi STOBAEI quoque, quæ in medium affert, loca, expendi merentur. Paria fere habet JAMBLICHVS *Sect. I. c.* 3. *p.* 4. *ſeqq.* Ex his lucem accipiunt, quæ alibi, *de Vita Pythagor. c. XVI. §.* 70. *p.* 58. edit. Kuſter. dixit: ἀπὸ τούτων ἁπάντων δαιμονίως ἰᾶτο καὶ ἀπεκάθαιρε τὴν Ψυχὴν καὶ ἀνεξωπόρει τὸ θεῖον ἐν αὐτῇ καὶ ἀπέσωζε καὶ περιῆγεν ἐπὶ τὸ νοητὸν τὸ θεῖον ὅμμα, Κρεῖττον ὂν σωθῆναι κατὰ τὸν Πλάτωνα,

τωνα, μυρίων σαρκικῶν ὀμμάτων, quæ luculenter ita vertit OBRECHTVS: *quibus omnibus* (ignorantia & affectibus) *animam divinis modis repurgatam ſanabat, & cœleſtem ejus particulam refocillabat, ſalvamque ad conſequendum intellectu divinum oculum, infinitis oculis corporeis, ut Plato ait, nobiliorem reducebat.* Hic fons ut errorum multorum, ita & potiorum de mentis & animæ humanæ natura partibusque hypotheſium, quæ multis quoque ex Patribus placuerunt, quasque in Dogmatibus de loco animæ, inferni, ſpirituum, etr. perſpicere licet, & de quibus notanda plurima affert ROB. PARKERVS in libro rariſſimo *de deſcenſu Chriſti ad inferos l. II. §. 78. ſeqq. p. 128. ſeqq.* quem, ubi occaſio tulerit, conſuluiſſe, certe pœnitebit neminem.

Pag. 103.

DEum in cratere animas miſcuiſſe, locum Platonis attulimus, addita obſervatione JAC. THOMASII, veroſimiliter per craterem intelligi mundi animam. Incidimus interea in locum quendam PORPHYRII in libello *de antro nympharum apud Homerum*, quem LVCAS HOLSTEINIVS ejus

ejus *Vita Pythag.* adjecit *p.* 117. *ſeqq.* qui, etſi longiuſculus eſt, notari tamen eo magis meretur, quo certius inde argumentum ſumimus, non Platonem tantum, ſed & veteres gentilium Theologos plerosque ſub craterum & amphorarum ſymbolo animarum ex anima mundi originem adumbraſſe. Inter alia, poſtquam varia generationis, mundanæ ſymbola expoſuerat, addit: οἰκεῖον σύμβολον καὶ νύμφαις ὑδριάσι παρατίθεται, εἰς τὸ ἄσηπτον τῶν ὑδάτων, ὧν ἐπιστατοῦσι, καὶ τὴν κάθαρσιν αὐτῶν, καὶ τὴν εἰς γένεσιν συνεργίαν· συνεργεῖ γὰρ γενέσει τὸ ὕδωρ· διὸ καὶ ἐν τοῖς κρατῆρσι καὶ ἀμφορεῦσι τιθαιβαίσσουσι μέλισσαι· τῶν μὲν κρατήρων σύμβολον τῶν πηγῶν φέροντον. Καθὼς παρὰ τῷ Μίθρᾳ ὁ Κρατὴρ ἀντὶ τῆς πηγῆς τετακτετῶν δ' ἀμφορέων, ἐν οἷς τὰ τῶν πηγῶν ἀρύομεθαι· πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νυμφαῖς, καὶ ἔτιγε μᾶλλαν νυμφαῖς ταῖς ψυχαῖς, κ. τ. λ. *Proprium ſymbolum nymphis aquaticis conſtituitur, ob immunem a putredine aquarum naturam, quibus praſunt, atque earundem vim purgatricem & cooperationem ad generationem: concurrit enim aqua ad generationem, atque hanc ob cauſam in crateribus & amphoris mellificant apes, cum crateres fontium ſymbolum gerant,*

gerant, quemadmodum juxta Mithram crater pro fonte ponitur, amphoræ vero vaſorum, quibus ex fontibus haurimus, fontes autem & rivuli nymphis aquaticis proprii, & præcipue nymphis animabus ſcilicet. Quo in loco cave generationem corporalem intelligas, ſed deſcenſum animarum ex anima mundi, in quam redituræ ſint, ut pag. ſeq. diſerte tradit. conf. p. 130. ubi iterum de Platone aſſerit: eum per dolia & crateres & portas τὰς τῶν ψυλῶν γενέσεις καὶ ἀπογενέσεις *animarum generationes* (ex anima mundi) *& deceſſus* (in eam) *intellexiſſe.* Nititur itaque veterum Platonicorum interpretatione allata l. c. conjectura.

§. VIII. p. 128.

Non corporum ſolum naturam, quod Platoni quoque placuit, ſed & τὰ τῆς ψυχῆς fluminis inſtar ſe habere, & in perpetua mutatione verſari Heracliti ſententia fuit, cujus auctorem laudat Numenium EVSEBIVS *de præpar. Evang. l. XV. c.* 20. βουλόμενος ἐμφαντίσαι, ὅτι αἱ ψυχαὶ ἀναδυμιώμεναι νοεραὶ ἀεὶ γίνονται, ἔικασεν αὐτὰς τοῖς ποταμοῖς λέγων οὕτως· Ποταμοῖσι τοῖσι αὐτοῖσιν ἐμβαίνουσιν ἕτερα καὶ ἕτερα ὕδατα ἐπιῤῥεῖ· καὶ ψυχαὶ δὲ ὑπὸ τῶν ὑγρῶν

ὑγρῶν ἀνθυμιῶνται. *Cum exhalantes animos ſpirituales ſemper effici demonſtrare vellet, eos cum fluviis comparabat, his verbis utens: in fluvios, inquiebat, licet iidem usque decurrant, aliæ tamen atque aliæ illabuntur aquæ. Et vero animæ efflantur ex humidis.* Non mirabimur vero, Heraclitum animæ quoque iſtam mutabilitatem adſcripſiſſe; non enim poterat aliter, poſtquam pro primo principio admiſerat, γίνεσθαι πάντα κατ' ἐναντιότητα, καὶ ῥεῖν τὰ ὅλα ποταμοῦ δίκην, *fieri omnia per contrarietatem, & fluminis in morem univerſa decurrere*, ut habet LAERT. *l. IX. ſ.* 8. contraria vero illa ex materia oriuntur & particularum diſpoſitione ut l. c. monuimus, pluribusque expoſuit B. OLEARIVS *loco a nobis citato*, unde & anima ex humido enata naturæque mutabilis particeps facta in perpetuo fluxu eſſe illi dicta eſt. Recte itaque SIMPLICIVS *ad illa ARISTOT. Phyſ. l. VII.* Φασί τινες, κινεῖσθαι τὰ πάντα, καὶ ἀεὶ, ἀλλὰ λανθάνειν τοῦτο τὴν ἡμετέραν αἴσθησιν, *dicunt quidam, moveri omnia, & quidem ſemper, ſed id noſtrum fugere ſenſum*, Heracliteis hanc ſententiam tribuit & *l. I. de anima*, expreſſis verbis de Heraclito ait: Καὶ Ἡράκλειτος τὴν ἀρχὴν εἶναί φησι τὴν ψυχὴν, εἶπερ τὴν ἀναθυμίασιν, ἐξ ἧς τ' ἄλλα συνίστησι

νίστησι· καὶ γὰρ ἀσωμάτοτον δὴ καὶ ῥέον ἀεί, τὸ δὲ κινούμενον κινουμένῳ γινώσκεσθαι· ἐν κινήσει δὲ εἶναι τὰ ὄντα καθάπερ ᾤετο, καὶ οἱ πολλοί. *Heraclitus quoque principium esse dixit animam, sive exhalationem, ex qua reliqua consistunt: nam & corporis expers, & perpetuo fluxui obnoxia; motum vero movente cognosci, in motu vero esse entia omnia, non ille tantum, sed & multi alii statuerunt.* Quare & PLVTARCH. *loco a nobis excitato* ex ejus mente κίνησιν ἀΐδιον ἐν τοῖς ἀϊδίοις *motum aeternum in aeternis* tribuit, quæ omnino de anima debent intelligi. Ex dictis lucem capiunt illa PORPHYR. *de antro nymph. p.* 111. *seqq.* qui de Heraclito: Ψυχῆσι φάναι τέρψιν μὴ θάνατον ὑγρῇσι γένεσθαι, τέρψιν δὲ εἶναι αὐταῖς τὴν εἰς τὴν γένεσιν πτῶσιν, *animabus videri oblectamentum, non mortem, cum humidæ nascantur, oblectamentum vero iis esse, quod in generationem cadant.* Quæ quoque sententia non Stoicis tantum placuit, ut ex SENECA probavimus, cui addendi PLVTARCH. *de comm. not. c.* 39. & ANTONIN. *de se ipso l. II. §.* 17. *l. V. §.* 35. sed & Epicureis, quorum ex LVCRETIO sententiam affert TOM. GATAKER. *ad Antonin. l. II. §.* 17. *p. m.* 76. ad quem brevitatis causa lectorem remittimus.

Pag.

Pag. 134.

Inter veteres, qui conſenſum Platonis cum Ariſtotele defenderunt, ipſe referendus CICERO, Syncretiſmi philoſophici, ſi quis unquam, patronus; varios enim loquentes de hac re introducit, & quidem Varronem, *Acad. Qq. l. I. Nihil inter Peripateticos & illam veterem Academiam differebat, Academici & Peripateci rebus congruentes nominibus differebant*, conf. *de finib. l. V. §.* 12. 16. & *l. IV. Qq.* 40. ultra progreditur, ait enim Lucullus: *Plato reliquit perfectiſſimam diſciplinam, Peripateticos & Academicos nominibus differentes, re congruentes, a quibus Stoici ipſi verbis magis quam ſententiis diſſenſerunt.* Præcipue vero Porphyrii ætate frequens ea fuit ſententia, conſpirare re ipſa Platonis & Ariſtotelis philoſophiam, unde Porphyrio liber l. c. laudatus enatus eſt, *quod ſecta Platonis & Ariſtotelis eadem ſit*, de quo poſt HOLSTEN. *de vita Porphyr. c. VII. p. m.* 62. *ſeq.* ed. Rom. videndi JO. JONSIVS *de Script. hiſtor. philoſ. l. III. c.* 15. *p. m.* 288. *ſeqq.* & Vir ſummus JO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. IV. c.* 27. *p.* 189. Qua in ſententia ipſum Porphyrium fuiſſe, vel inde manifeſtum eſt, quod non Platonicam tan-

tum ſed & peripatetieam philoſophiam & coluerit, & ſibi invicem junxerit, quo ſenſu PROCLVS *l. I. in Timæum p.* 18. dixit, Porphyrium *περιπατητικὰς ἀποδόσεις παρεσφέροντα λύειν τὰς Πλατωνικὰς ἀπωρίας*, *peripateticas definitiones & decreta adjungendo, ſolvere Platonicas dubitationes*, rectèque addit. HOLSTEN. *l. c.* plerosque poſteriores philoſophos cœpiſſe Porphyrii exemplo *ἐπαμφοτερίζειν*, & Academiam cum Lyceo conjungere, exploſa priorum Academicorum ſuperſtitione, qui unum Platonem nimis religioſe ſectabantur, atque ejus dogmata adeo ab Ariſtotelicis differre exiſtimabant, ut nulla ratione conciliare poſſent. Non itaque eclecticam philoſophandi rationem tenuit Porphyrius, quod quam maxime probare contendit HOLSTENIVS *l. c. c.* 5. *p.* 36. ſed ſyncretiſticam, quemadmodum nec Ammonius primus fuit, ut ille putat, qui, ut Hierocles ait, *duos illos Principes philoſophorum ἐν τοῖς ἐπιπαίροις καὶ ἀναγκαιοτάτοις τῶν δογμάτων, in primariis & maxime neceſſariis dogmatibus minime diſſentire* oſtendit; Ciceronis enim ætate apud multos jam obtinuiſſe iſtam ſententiam adductis modo ejus locis probavimus, qua in re magiſtrum habuere Antiochum Academicum,

cum, conf. JO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. III. c. 1. p.* 37. & inde quoque non abſurde colligimus, quod & Taurus Berytius teſte SVIDA ſcripſit περὶ τῆς τῶν δογμάτων διαφορᾶς Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους *de differentia dogmatum Platonis & Ariſtotelis*, & Atticus Platonicus teſte EVSEBIO. *l. XV. Præpar. Evang. contra Ariſtotelem a Moſe & Platone diſſentientem*; ſine dubio contrariam, quæ quibusdam inſederat, ſententiam de convenientia Ariſtotelis cum Platone refutaturi. Negandum tamen non eſt, ab eo tempore, quo Ammonius Alexandrinæ ſcholæ præfuit, miſſis inanibus & Platonicorum & Ariſtotelicorum diſputationibus & verboſis contentionibus in Syncretiſmum Platonico-Peripateticum inclinaſſe omnem fere philoſophorum gentem, præcipue Herennium, Origenem, Plotinum, quos ſecuti ſunt Porphyrius, Jamblichus, Hierocles, & hos iterum aliquorum nimio tamen ſtudio ad difficiles nugas iterum deventum eſt, ut erudite laudatus HOLSTENIVS *l. c.* obſervat; conf. S. Rev. BVDDEVS *obſ. Hal. Lat. T. III. obſ.* 13. & in opere πολυμαθεστάτῳ *Iſagog. Hiſt. Theol. l. I. c.* 4. §. 22. *p.* 226. 233. BOIVINI hoc de argumento diſſertationem, in *commentariis Academiæ Regiæ Inſcript. T.*

IV. p. 481. *seqq.* extantem Germanica veste induit & doctissimis observationibus auxit Cel. HEVMANNVS, cujus locum l. c. jam excitavimus.

Ad §. X. p. 154.

Stoicis ideas Platonis & æternas ejusmodi substantias, atque formas non placuisse nemo mirabitur, qui expenderit, ipsos in Heracliti castris militasse, quando de essentia & natura rerum differendum erat. Supra enim jam observavimus, & adductis Senecæ verbis laudatoque Plutarcho & Antonino probavimus, eos docuisse, rerum naturam esse instar fluvii cujusdam, qui in perpetuo sit fluxu. Addimus iis propter singularem perspicuitatem ANTONINI locum *de se ipso l. V. §. 3.* Πολλάκις ἐνθυμοῦ τὸ τάχος τῆς παραφορᾶς καὶ ὑπεξαγωγῆς, τῶν ὄντων τε καὶ γινομένων· ἥτε γὰρ οὐσία ὅιον ποταμὸς ἐν διηνεκεῖ ῥύσει, καὶ αἱ ἐνέργειαι ἐνσυνεχέσι μεταβολαῖς, καὶ τὰ αἴτια ἐν μυρίαις τροπαῖς καὶ σχεδὸν οὐδὲν ἑστὼς καὶ τὸ παρεγγύς. *Sape cogita, quanta cum celeritate abripiantur & subtrahantur, quæ sunt, fiuntque universa, est enim rerum natura instar fluvii cujusdam, qui in jugi sit fluxu: effectiones vero mutationibus continuis & causæ ipsæ innumeris conversionibus*

ſionibus ſubjacent, nec quod conſiſtat, fere quicquam eſt. Paria ubique apud ANTONINVM occurrunt. *l. II. §. 17. l. VI. §. 15. l. VII. §. 25.* quæ ad animam quoque pertinent, quam fumum eſſe dixit, & ſomnium *l. II. §. 17.* quia anima quoque Stoicis mortalis eſt, atque perit, ut erudite probavit JACOBVS THOMASIVS *de exuſt. mundi Stoica diſſ. XV. p. 227. ſeqq.* hinc ſubſtantiis quoque æternis & permanentibus, quales ideas finxit Plato, locum facere non poterant.

Ad pag. 156.

Recte ad h. l. obſervarunt *Bibliothecæ Germanicæ* auctores doctiſſimi *Tom. VIII. art. 12. p. 242.* Stoicorum ſententiam affinem videri Peripateticorum doctrinæ de ſpeciebus ex corporibus emanantibus, quam nos quoque in *Hiſt. de Ideis Sect. III. p. 242.* retulimus. Non enim res ipſa quam prope acceſſerint ſibi invicem, clamat, ſed & diſertis verbis tradit BOETHIVS *de conſol. philoſ. l. V. p. m. 233. ſeqq. metro* 3. ubi ita:

Quondam porticus attulit
Obſcuros nimium ſenes,

Qui ſenſus & imagines
E corporibus extimis
Credant mentibus imprimi,
Vt quondam celeri ſtylo
Mos eſt æquare pagina
Quæ nullas habuit notas
Preſſas figere literas.

Affinitatem cum hac theſi habent, quas Democritus finxit, imagines, quam in eſſe dixit univerſitati rerum, de quibus CICERONIS locum *p.* 268. attulimus. Sic & Epicureos in hunc modum fuiſſe philoſophatos ex LVCRETII *l. IV.* addiſcere licet.

§. XIII. p. 170. ſeq.

Ex quo ad philoſophiæ Græcanicæ ſtudium a civilium rerum uſu paulatim revocarunt ingenia Romani, & præſtantiſſimi viri iſtiusmodi ſtudiis delectari cœperunt, nihil magis arriſit, & familiare magnis quoque ingeniis fuit, quam Sceptica philoſophandi ratio. Primus vero, qui Scepticum philoſophandi modum Italiæ intulit, Romæque profeſſus eſt, fuit Carneades, novæ Academiæ conditor, qui cum ab Athenienſibus una cum Stoico Diogene, & Peripatetico Cri-

Critolao legatus Romam miſſus eſſet, ad remiſſionem mulctæ, a Romanis dictæ, impetrandam, primus publicis in concionibus pridie juſtitiam laudavit, poſtridie ſuſtulit, magnamque conſecutus eſt famam, multosque ſectatores, adverſarium vero habuit Satonem Cenſorium, iſta quidem ratione maſculam Romanorum virtutem effeminari timentem, vid. PLVTARCH. *in Cat. p.* 349. GELLIVS *Noct. att. l. VII. c.* 14. MACROB. *Saturn. l. I. c.* 5. AELIAN. *Var. Hiſt. l. III. c.* 17. Poſt cum Philolariſſæus, Clitomachi diſcipulus eum ob bellum Mithridatis Athenis Romam confugeret, ibi ſcepticam philoſophandi rationem profeſſus eſt, & multa in admiratione fuit; vid. PLVT. *in Cic.* CICERO ab eo prima philoſophiæ rudimenta hauſit, vid. *de Nat. Deor. l. I. c.* 3. poſtea Athenas delatus per ſemeſtre veteris Academiæ placitis imbutus eſt, ab Antiocho, ejus eloquentia & volubilitate linguæ captus, vid. PLVT. *l. c.* unde eum quoque acutiſſimum & politiſſimum ſuæ memoriæ philoſophum pronunciat *Acad. Qq. l. IV. c.* 35. Sed poſtea tamen, uſu & tempore meliori edoctus, Philonis partes elegit, ut ex Academicis Quæſtionibus eſt manifeſtum. Conf. PETR. DAN. HVE-

TIVS *de la foibleſſe de l'Eſprit humain l. I. ch.* 14. §. 20. *ſeqq. p.* 112. 117. *ſeqq.* qui hæc fuſius enarrat, & de fatis philoſophiæ Scepticæ apud Romanos plura doctiſſime cumulat: add. GEORG. HORNIVS *Hiſt. phil. l. IV. c.* 3. *p.* 237. *ſeqq.* Et ad hanc ſectam referre quoque licet Varronem, Virum πολυμαθέστατον, de quo vid. LACT. *l. I. c.* 6. QVINCTILIAN. *Inſtit. l. X. c.* 11. *l. I. c.* 4. Piſonem, Lucullum, Brutum, celeberrimos in Ciceronis dialogis viros. Horatium eclecticum fuiſſe, & ipſa ejus verba a nobis adducta probant, & fuſius demonſtrat HEINSIVS *de Satyr. Horat. l. II.* ubi late de philoſophia Horatii diſſerit. LVCRETIVS vero primus fuit, qui, ſi non omnem, certe Epicuream philoſophiam patrio ſermone excoluit, ait enim:

Denique natura hæc rerum ratioque reperta eſt
Nuper, & hanc primus cum primis ipſe repertus
Nunc ego ſum in patrias qui poſſim vertere voces.

Conf. LACTANT. *l. III. c.* 16. M. P. Catonem Stoicum fuiſſe IDEM *l. III. c.* 18. confirmat, & tota, quam ſequebatur, ſentiendi

tiendi & vivendi ratio prodit, quam eleganter verſibus ita complexus eſt LVCANVS *l. II.*

- - Hi mores, hæc duri immota Catonis
Secta fuit, ſervare modum, finemque tenere,
Naturamque ſequi, patriæque impendere vitam,
Nec ſibi, ſed toti genitum ſe credere mundo.
Huic epulæ, viciſſe famem, magnique penates
Submoviſſe hyemem tecto pretioſaque veſtis
Hirtam membra ſuper Romani more Quiritis
Induxiſſe togam: Venerisque huic maximus Vſus,
Progenies; urbi pater eſt, urbique maritus,
Juſtitiæ cultor, rigidi ſervator honeſti,
In commune bonus, nullosque Catonis in actus
Subrepſit, partemque tulit ſibi nata voluptas.

Nihil hic dictum, quod non in Stoicum quadrat, jactaveratque de se Porticus, nimium sibi semper placens.

Ad Sect. II. §. 2. p. 184.

Cum Philo Judæus fuerit, nec Christo nomen addixerit unqnam, ejus de ideis sententiam inter Christianorum placita enarrare noluimus. Etsi enim PHOTIVS *Cod. CV.* refert, eum Christianæ fidei nomen dedisse, postea vero indignatione & tædio ad suos rediisse, silent tamen veteres omnes, nec ullo alio probari potest argumento. Immo nec iis quoque calculum adjiciendum putamus, qui persuasum sibi habent, scripta Philonis lecta & in usus suos quodammodo translata fuisse a Divis Apostolis Joanne & Paulo, illo in Evangelii sui principio, hoc in Epistola ad Ebræos, quorum posterius HVG. GROTIO *ad Ebr. IV.* 12. prius JO. CLERICO *Epist. Crit. IX. p.* 247. *seq.* edit. Amstelod. placuit cui hac de re præter alios graves lites interceſſere cum JO. VAN DER WAYEN, qui *dissert. de λόγῳ adversus eum* ediderat. Hoc tamen non obstante ejus quoque de ideis sententia in historia de ideis locum

omnino

omnino habet, quoniam inter Pythagoræ & Platonis ſequaces celebre nomen ſortitus eſt, unde cum NICEPHOR. *l. II. c.* 15. περιβόητον ἐν ἀμφοτέραις φιλοσοφίαις *in utraque Philoſophia clariſſimum* appellat, conſentientibus ex veteribus EVSEBIO, HIERONYMO, SVIDA, aliisque quos in medium affert JO. JONSIVS *de ſcript. hiſt. philoſ. l. III. c. 4. p. m.* 225. quem tamen Philonem ex Pythagoræ & Platonis ſequacium numero l. c. Eximere merito miramur, nec profecto rationibus ab eo, licet docte prolatis ſatis probari poſſe credimus, cum ejus Platonismus, niſi nos omnia fallant, manifeſtiſſimus ſit, ut doctiſſime demonſtrarunt Duumviri in orbe literario celeberrimi JO. ALB. FABRICIVS pec. diſſ. *de Platoniſmo Philonis* & JO. CLERICVS *Epiſt. Crit. VIII. p.* 210. *ſeqq.* ſubſcripſit vero plane Philo Platonicæ de ideis doctrinæ, eamque ubique in ſua philoſophemata tranſtulit. Aſſerit enim, Deum mundum creaturam prius exemplar intelligibile νοητὸν ἰδέαν formaſſe, mundum dari ex ideis conſtantem, id eſt, intelligibilem, quem idearum regionem dixerunt Platonicorum aliqui, Deum ipſum de ideis cum Moſe locutum fuiſſe, Moſen de formatione

tione hominis ad imaginem Dei ſermonem facientem intelligere ideas, probarique ex iſto loco poſſe, univerſum mundum ad idearum normam creatum eſſe. Ideas porro eſſe in mente divina, λόγῳ Dei, quam *ἰδέαν τῶν ἰδεῶν* nominat, & quæ alia ſunt apud illum occurrentia. Loca ipſa non excitamus diligenter a Viris laudatis adducta. Hinc non mirandum, Philonem more Platonico cuncta in *νόητα καὶ αἰσθητα* intelligibilia & ſenſibilia diſpeſcere, *de Monarch. I. p. 627.* Edit. Genev. Hac enim diſtinctione tota de ideis doctrina nititur.

Ad pag. 186.

Sexum indivinis dari omni fere antiquitati placuit; nam ut de Cabbaliſtis nihil dicamus, qui ex impuris gentilis philoſophiæ lacunis ſuos Hortos irrigarunt, quorum ſomnia notavit Cel. FABRIC. in *not. ad Cod. Apogryph. N. T. p. 361. ſeqq.* antiquiſſimi gentilium theologi hanc ſententiam ſuo approbarunt calculo, aut Deum eſſe *ἀῤῥενοθήλυν*, aut ſaltem genus Deorum in maſculinum & fœmininum diſpeſci debere, dàrique Deos Deasque, quæ tamen poſte-

poſterior ſententia nihil aliud eſt, quam prioris ad vulgi captum & mentem applicatio. Nimis tamen longum eſſet, omnes diverſi ſexus Deos enarrare, præſertim cum fecerint hoc alii laudati ab Ill. GISB. CVPERO in *explicat. numm. antiq. ad calcem apoteos. Homeri p.* 227. & PETR. DAN. HVETIO *Demonſtr. Evang. prop. IV. §.* 3. *p. m.* 148. ed. Lipſ. recent. JO. ALB. FABRICIO *Bibliogr. Antiquar. c. VIII. §.* 7. 235. *ſeqq.* quibus addendus MENAG. *ad Laert. l. I. ſ.* 116. *T. I. p.* 128. Exemplo tamen notandus Bacchus, qui non muliebri tantum ornatu interdum pingi ſolebat, ut pluribus probat CVPERVS *l. c. p.* 228. & TRISTAN. *T. II. p.* 621. *ſeq.* ſed & utramque naturam habuiſſe dicitur ARISTIDI *Orat. in Bacch. T. I. p.* 52. & Porphyrio apud EVSEBIVM, itemque THEODORETO *Therap. l. VII. cui audit* γύνις ὢν καὶ θηλυδρίας, καὶ ἀνδρόγυνος, quemadmodum Arabes quoque Baccham magis quam Bacchum coluiſſe, & ab hoc idolo urbem Beccham, quæ & Mecca dicitur, nomen traxiſſe non ſine veri ſpecie ſuſpicatur Vir in his literis ſummus SAM. BOCHART. *Geogr. S. l. IV. c.* 2. *p. m.* 242. *ſq.* Philoſophi imprimis ſymbolica, quam adamabant, proponendi metho-

do

do uſi Deum finxerunt maſculino & feminino genere gaudentem. Cujus origo etſi ad Aegyptios referri poteſt, quibus Dii quoque diverſi ſexus erant, ut habet PLVTARCH. *Sympoſ. VIII.* 1. vel ad Chaldæos & Phænices, ut JO. CROIVS notavit in *Specim. conjectur. ad loca quædam Irenæi p.* 65. paulo tamen certius Orpheo adſcribenda eſt. Diſerte enim de eo ex antiquitatis conſenſu LACTANTIVS *l. IV. cap.* 8. *Niſi forte exiſtimemus, Deum, ſicut Orpheus putavit, & marem eſſe & feminam, quod aliter generare nequiverit, niſi habeat vim ſexus utriusque.* Quæ eis potiſſimum confirmantur: quæ Orphei ſequaces de ἱερῷ γάμῳ diſputant, videnda apud PROCLVM *lib. I. & II. in Timæum*, & V. C. ANDR. CHRIST. ESCHENBACH. in *Epigene de Poëſi Orphica p.* 58. qui docte multahac de re tradit. Poſt Orpheum Pythagoras præcipue cum aſſeclis in divinis ſexum admiſit, quod adductis veterum locis eruditiſſime probavit Cel. JO. CHR. WOLFIVS *de Manich. ante Manich. §. XXIX. p.* 116. quibus adde, ſi lubet, quos in Sched. *de conven. numer. Pythag. cum ideis Platonis*, inſerto *T. VII. Amœnit. Lit. §.* 12. p. 232. *ſeqq.* laudavimus, & ORIG. *Philoſophum. c. II. §.* 39. & WOLFIVS *ad b. l.*

b. l. Inter Parepateticos Hipparchus, Ariſtotelis diſcipulus, teſte SVIDA librum ſcripſit, temporis injuria deperditum, *τί τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ παρὰ Θεοῖς καὶ τίς ὁ γάμος, de eo quid mas & femina ſit inter Deos*, & quæ eorum nuptiæ; conf. JO. ALB. FABRIC. *Biblioth. Gr. l. V. c.* 40. *p.* 715. Sic & Stoici Diis omnibus Deabusque ſexum adſcribebant, obſervante HVETIO *l. c.* Ex his fontibus ſine dubio ortæ generationes æonum Valentinianæ, ſomniabant enim, Deum ſummum conjunctam habuiſſe cogitationem, quæ ſuſcepto a Bytho, id eſt Deo profundiſſimo ſemine, mentem, quam & unigenitum dicebant, progeneraverit. Videndi qui ex inſtituto dogmatibus Valentinianorum illuſtrandis inſudarunt PETAVIVS *ad Epiphph. p.* 67. BVDDEVS *de hær. Valentin. in Hiſt. Phil. Ebræor. p.* 424. HOPERVS *in conject. de Valentin. hæreſi*, & qui Irenæum & Epiphanium illuſtravere annotationibus. Adoptavit hanc ſententiam etiam PSEUDO-HERMES, quem propterea notat IS. CASAVBON. *Exercit. antiþaron. I. n.* 18. *p. m.* 59. & ex his quoque lacunis putidam hanc ſententiam hauſit SYNESIVS, cujus verba *l. c.* adduximus. Quæ tantum abeſt, ut tur-

ut turpidæ tantum eloquentiæ & dictionis metaphoricæ abuſui, patribus tantopere familiari adſcribenda ſint, ut non nemini placuit, ut potius Syneſius Pythagoram & Platonem & verbis & hypotheſi exprimat. Cum enim hi philoſophi emanationem rerum ſpiritualium ex Deo per iſtam ſexus in Deo aſſertionem intellexerint, Syneſius eandem prorſus cantilenam canit, ut cuivis, vel unicum ejus hymnum, præſertim quartum legenti, ad oculos patet, nec fuſius probando quod alibi jam attulimus, actum agemus, videndi vero viri doctiſſimi B. CHLADENIVS *de Theologum. Syneſii*, & JO. AD. BOYSE *de Philoſophum. Syneſii p.* 33. In Syneſio enim Platonicum magis philoſophum, quam Chriſtianum epiſcopum agnoſcas, mento itaque præter alios notato quoque HENR. STEPHANO, in eleganti *præfatiuncula Græce ejus hymnis a ſe* 1568. *editis præmiſſa.* Quanquam ex ea potiſſimum cauſa excuſationem meretur Syneſius, quod hos hymnos Chriſtianus quidem, ut ex eorum argumento & laudibus Trinitatis patet, ſecus ac viſum HENR. DODWELLO *de jure Laicorum ſacerdotali* §. *X. p.* 287. nondum tamen baptizatus, nedum Epiſcopus, com-

compoſuit, ut egregie ex verbis *Hymno III. v.* 430. *ſqq. p. m.* 71. *ſeqq.* judicat Vir acutiſſimus JO. ALB. FABRIC. *Bibl. Gr. l. V. c.* 22. *p.* 228. Quæ Syneſii de ſexu in divinis ejusque generatione ſomnia hymno præcipue *IV. p. m.* 109. *ſeqq.* Satis impie prodita videt SOUVERAIN. *Platoniſme devoilé P. I. ch.* 8. *p.* 85. ipſi ſanctiſſimo de Trinitate Dogmati hoc modo iniquo auſu maculam inuſturus: quemadmodum & V. C. JO. ERNEST. GRABIVS in *not. ad Iren. p.* 7. cum arguit, quod totam Valentinianorum matæologiam ad orthodoxam Chriſtianam Theologiam aptaverit. Ceterum cum de ſenſu hujus dogmatis rerum ſpiritualium ortum & emanationem ex Deo deſcribentis tum in *diſſert. cit. Amoenit. liter. Tom. VII. p.* 231. *ſeqq.* tum in *obſervationibus criticis ad Anonymi, Hiſt. phil. gentilis Gallice ſcriptam*, quas cum aliis brevi edi poſſe ſperamus, dixerimus, dicta nolumus repetere.

Ad pag. 191.

Imputari hoc loco Auctori librorum, qui ſub Dionyſii Areopagitæ nomine ambulant, Atheiſmum, viſum fuit Viro Summo JO.

ALB. FABRICIO in *elencho ſcriptorum de V. R. C. c. VIII. p.* 300. ubi quoque, quod obiter notamus, nomen noſtrum minus recte expreſſum eſt. Ita vero Vir celeberrimus poſt alia : *perinde ut Moyſen ipſum impius Joannes Tolandus, & auctorem ſcriptorum, qui ambulant ſub Dionyſii Areopagitæ nomine, Scholaſticosque Realium appellatione notos in Spinoziſmi partes trahit Jo. Beckius Auguſtanus in hiſt. philoſ. de Ideis.* Pace tamen Viri ſuo jure ſummi, cujus magnam eruditionem, vaſtiſſimam lectionis copiam & judicii ἀκρίβειαν merito miramur & Summopere veneramur, hic monere nobis liceat, hæc paulum remotiora eſſe a noſtra ſententia. Nuſpiam enim Pſeudo-Dionyſio ejusmodi impietatem adſcripſimus, ſed id modo obſervavimus, Dionyſium duplicis generis ideas ſtatuere, unum, quod eminenter eſt in DEO, & ipſe DEUS fons omnium ſubſtantiarum, alterum, quod per communicationem ab eo emanavit vel participavit, & ab reliquis entibus participatur. Hæc & verbis Dionyſii *l. c.* adductis plane ſunt conformia, &, cum emanationem ſubſtantiarum ſeparatarum ex DEO innuant, incautis quidem facile viam ad Spinoziſmum poſſunt ſternere, ab ipſa tamen

men impietate Spinozæ omnisque Atheismi ſatis ſunt remota, unde præeunte PETAVIO monuimus, melius & magis Chriſtiane ſenſiſſe Dionyſium, & dum Platonicas voces loquendique modos adamabat, καταχρηστικῶς fuiſſe locutum. Et profecto eandem cum Viro celeberrimo fovemus ſententiam, ſobriè & caute in Atheiſmi macula veteribus auctoribus inurenda verſandum eſſe, cum ſæpius quidem principia admiſerint, ex quibus prono alveo hæc peſtis fluit, & neceſſaria conſequentia evincitur, ipſas tamen conſequentias nec viderint, nec, ſi vidiſſent, aſſeruiſſent, vel ex ſuis principiis fluere conceſſiſſent, ut quotidie in Eccleſia & Orbe literario fieri videmus. Ita de Scholaſticis Realibus quoque, quos atheiſmi non ſine magni veri ſpecie accuſavit P. Bælius, monuimus, ſcotiſtas non vidiſſe, quæ ex ea ſententia, eandem rem eſſentialiter totam ſimul ſingulis ſuis ineſſe individuis, nec eſſe individuorum diverſitatem, ſequerentur dogmata abſona & plane impia. Quæ cauſa quoque eſt, cur *l. c. Sect. I. p.* 51. Platonem ab Atheiſmo abſolverimus, etſi ejusmodi principia aſſeruit, quæ pronam ad eam viam muniunt. Ceterum omnino hac de re conferenda &

probe notanda ſunt, quæ ipſe Vir πολυμαθέστατος de hac re eruditiſſime monet in *Bibliographi antiquar. c. VIII. §. 7. p.* 236. quibus omnino ſubſcribimus.

Ad pag. 195.

Ex Arabibus Averroi Ariſtotelicæ philoſophiæ ſectatori addendi ſunt, Avicenna, Alpharabius, aliique, de quibus legendus HORNIVS *Hiſt. philoſ. l. V. p.* 291. ſeqq. qui quoque elegantem COELII locum *A. L. l. II. c.* 2. de Avicenna affert, iis, quæ nos de Arabum in Ariſtotelem ſtudio diximus lucem foeneraturum. *Is* (Avicenna) ait, *in Hiſpania natus & Arabum idiomate imbutus cum Græca literaturæ ne apices quidem imbibiſſet, Ariſtotelis libros in barbarum ſonum non translatos quidem, ſed mutilatos, decurtatos perverſosque cum lectitaret, in iis, quæ altioris ſunt ſcientiæ & interioris ſenſus authorem eminentiſſimum, ſtudio brevitatis ita conciſum, ut ſenſuum acumina ſudantes philoſophos diſtineant, diu multumque minus minusque conſequi, valuit.* Addendus JO. LEO AFER *de medicis & Phil. Arab. c. IX. XX.* apud Cel. FABRIC. *Bibl. Gr. l. VI. c.* 9. *p.* 268. 282. *ſeqq.* & de Averroë quoque

NIC.

NIC. ANTON. *Bibl. Hiſpan. vet. Tom. II p.* 243. Vener. WOLF. *Bibl. Ebr. p.* 18 *ſeqq.* aliique.

Ad pag. 197.

Quanquam Porphyrius tractationem de ideis in Iſagoge ſua prætermiſit, alio tamen loco & tempore eam ſuſcepit, cujus ipſe nobis fecit notitiam in *vita Plotini c.* 18. Locum, quia prolixus eſt, Latine tantum ex verſione Ficini Damus. *Mihi* ait, *Porphyrio idem accidit, cum primum audivi Plotinum, quapropter eum contra ſcribendo provocare tentavi, conatus oſtendere, ea, quæ intelligantur, extra intellectum exſiſtere. Ille vero cum Amelio mea ſcripta legere præcepiſſet, illeque jam perlegiſſet, ſubridens ait: Tuum eſt, Ameli, dubitationes iſtas diſſolvere, in quas ille ob quandam ſententiæ noſtræ ignorantiam incidit. Poſtquam igitur Amelius librum non parvum adverſus meas objectiones compoſuit, egoque ſcriptis ejus iterum contradixi, rurſusque mihi reſcripſit Amelius, tertio jam gradu vix tandem Plotini mentem conſpicatus, mutavi ſententiam, ideoque palinodiam reſcribens in conventu omnium recitavi;* etr. Scriptus vero hic liber ad illud Zoroaſtreum,

v. 702. *seqq.* ὄφελμάθης τὸ νοητὸν ἐπὶ νοῦ ἔξω ὑπάρχει, *ut cognoscas intelligibile, quoniam extra intellectum existit*; oppositusque PLOTINI *Enead. V.* cujus titulus: ὅτι οὐκ ἔξω τοῦ νοῦ τὰ νοητὰ, *Quod intelligibilia extra intellectum non subsistant.* Transiit tamen Porphyrius in Plotini sententiam, quod admodum displicuit Longino, ut ipse PORPHYR. *l. c. c.* 20. auctor est, in epistola enim Longini, quam affert, hæc inter alia dicuntur, omnino in historia de Ideis notanda: ἤδη μὲν οὖν καὶ δι' ἄλλων τοῦτο πεποιήκαμεν, ὥσπερ καὶ τῷ μὲν Γεντιλιανῷ περὶ τῆς κατὰ Πλάτωνα δικαιοσύνης ἀντείποντες· Τοῦ δὲ Πλωτίνου τὸν περὶ τῶν ἰδεῶν ἐπισκεφάμενοι· Τὸν μὲν γὰρ κοινὸν ἡμῶν τε καὶ κακείνων ἑταῖρον ὄντα Βασιλέα τὸν Τύριον οὐδ' αὐτὸν, ὀλίγα πεπραγματευομένον κατὰ τὴν τοῦ Πλωτίνου μίμησιν, ὃν ἀποδεξάμενος μᾶλλον τῆς παρ' ἡμῖν ἀγωγῆς ἐπεχείρησε διὰ συγγράμματος ἀποδείξαι βελτίω δόξαν περὶ τῶν ἰδεῶν τῆς ἡμῖν ἀρεσκούσης ἔχοντα μετρίως τῇ ἀντιγραφῇ διελέγξαι δόκουμεν οὐκ εὖ παλινωδήσαντα. *Jam vero per alia effecimus idem, quemadmodum, ubi Gentiliano quidem de justitia apud Platonem posita contradiximus, & ubi Plotini librum de Ideis tractantem consideravimus; communem profecto nostri illorumque amicum, Tyrium*

Tyrium dico Baſilium, (Porphyrium ſive Malchum, id eſt, regem) *qui & ipſe non pauca Plotinum imitando tractavit: atque Plotinum ipſum magis, quam viam regulamque noſtram probans, libri cujusdam compoſitione conatus eſt opinionem de Ideis Platonicam veriorem eſſe, quam noſtram, hunc inquam reſcriptione quadam oppoſita mediocriter arguiſſe videmur, ut qui non recte ſcilicet recantaverat.* conf. LVC. HOLSTEN. *de Vita & Script. Porphyr. c. X. p.* 76. ed. Rom. JO. ALB. FABRICIVS *Bibl. Gr. l. IV. c.* 27. *p.* 191. *ſeqq. c.* 31. *p.* 444. Longini tamen de hoc argumento ſcripta deſiderantur.

II.

SCHEDIASMA HISTORICO-LITERARIUM DE VARIIS POENIS IN LIBROS STATUTIS.

§. I.

IN tam copioſo librorum proventu mirum haud eſt, bonis malos eſſe immixtos, interque alios utiles & jucundos ætatemque ferre dignos extare etiam haud paucos frivolos ac pernicioſos, in ſupremum Numen injurios, in magiſtratus contumelioſos, virulentos & bonorum famam indigne lacerantes, ſpurcos denique ac modeſtiæ pudorisque neſcios: ut de orbe literato dici queat, quod Ovidius de tellure cecinit (*a*):

Terra

(*a*) Lib. I. de remedio amoris.

Terra ſalutiferas herbas, eademque nocentes
Nutrit, & urticæ proxima ſæpe roſa eſt.

Hinc conſtituta etiam varia in libros ſupplicia, qui mos non adeo novus & inuſitatus, ſed antiquo ſatis uſu receptus eſt. Licet vero ii, qui in libros, utpote ſenſu & ratione carentes, animadvertunt, mari compedes & verbera inferre, lapidem elixare, mortuos flagris afficere, ignem diſſecare, vanoque ac inani labore perfungi videantur: facile tamen perſpicimus, fieri id ad ſcelera deteſtanda, dedecus auctoribus conciliandum, coërcendam ſcriptorum licentiam, tollendaque e medio volumina, rempublicam turbantia, & ſtuprandis bonis moribus apta. Fatendum autem omnino in plurimos e libris, infamia notatis ac ultimam pœnam paſſis ab iniquis judicibus immerito ſævitum eſſe, & iſtiusmodi ſæpius monumenta, quæ perenni luce atque immortalitate digniſſima ſunt, præter omne fas condemnata, quod vel e ſolis librorum prohibitorum & expurgandorum indicibus clariſſime pateſcit. Sunt & inter libros

Queis funere vita est
Extendisse datum,

quibusque martyrii gloria denegari nequit. Quod si non aliunde constaret, ipse divinus Codex,

Cunctarum superans monumenta gravissima rerum,

toties pessime habitus & proscriptus, toties ad carnificem & contumelioſos ignes ablegatus exemplo suo nos edocere posset.

§. II.

Animus est, jam breviter insperſis subinde notatiunculis literariis differere de variis suppliciorum generibus, in libros exercitis, unde apparebit, multos eorum proscriptos & stigmate notatos, non paucos ad perpetua vincula æternosque carceres damnatos, alios mutilatos, nonnullos publico infamiæ loco & patibulo affixos, quosdam capite truncatos, alios discerptos & laceratos, alios aquis alios cloacis ipsis injectos, alios carrucis impositos & solenniter ad supplicii locum deportatos, alios denique

denique ultricibus flammis fuiſſe traditos. Ne quid de iis dicam, qui diris adverſariorum convitiis & criminationibus veluti acerbiſſimis tormentis ſcuticisque atrociſſimis non raro ad mortem cæſi & cruciati ſunt.

§. III.

Supprimuntur quandoque a ſummis imperantibus, ac ſi fieri poteſt, perpetuis mancipantur tenebris ſcripta, vel ſtatus arcana, fido tegenda ſilentio, propalantia, vel in eos injuria, vel pietati inimica, hujusque generis alia, de quibus in hujus opellæ tomo ſecundo p. 341. ſqq. diſſerui. Maxime vero inter Pontificios ab hæreticæ, quam vocant, pravitatis Inquiſitoribus diris programmatibus configuntur atque condemnantur omnia opera, quæ dogmata, a Romano cœtu aliena (hæc enim ipſis hæretica ſunt), fovent, licet cum ſacra ſcriptura, unica fidei norma, ex aſſe conveniant: præſertim autem ea atro notantur carbone, quæ Pontificis majeſtatem elevare videntur, aut cleri vitia perſtringunt. Hinc Hermannus Conringius, Vir ſum-

ſummus (*b*): *Quicquid Papæ immani potentiæ, aut ei, quam ſibi vulgo arrogant clerici, libertati repugnat, non minus proſcriptum eſt, quam quod aliquandiu receptis fidei ſententiis adverſatur. Nec in nupera duntaxat ſcripta in hunc modum ſævitur, ſed in ea etiam, quæ jam octingentis abhinc annis natæ, ipſa vetuſtate dudum autoritatem meruerunt tantum non ſacroſanctam. Namque & horum multa vel penitus excutiuntur manibus, vel acri calamo & ferro mutilantur. Quodque maximum eſt, fiunt omnia hæc ad unius papalis curiæ, & illorum, qui ab ea dependent librorum cenſores, mutum: ut proin hodie quidem nec doceri temere nec legi quicquam fas ſit niſi ex Papæ arbitrio. Qua ſeveritate neſcio an quæ unquam tyrannis fuerit uſa, in Eccleſia certe totius terrarum orbis hæc carent exemplo.*

§. IV.

Publice proſtant complures ejusmodi librorum Catalogi, de quibus peculiari ope-

(*b*) In dedicatione Georgii Wicelii Viæ regiæ aliisque id genus ab eo collectis, & uno volumine Helmſt. Anno 1650. editis præfixa, ac poſthac ejus epiſtolis ibidem A. 1666. excuſis inſerta, p. 196.

opere diligenter & curate egit Clar. Daniel Francus (*c*) Prodiere vero interim plures alii prohibitorum librorum Indices (*d*), quorum tres mihi ad manus ſunt: primus & ſecundus Romæ Clementis XI. P. M. auſpiciis A. 1711. & 1716. impreſſi, tertius non ita pridem Anno nimirum 1726. Pragæ ad exemplar Romanum recuſus. In Bibliotheca noſtra publica adſervatur Franciſci Magdaleni Capiferrei Elenchus librorum prohibitorum, Romæ ſecunda vice A. 1640. vulgatus, & tale quidem exemplar, quod multis libris ab Italica manu adſcritum habet anni & diei indicium, quo fuere damnati; plurimæ eidem quoque inſertæ ſunt ſchedulæ impreſſæ, opera poſthac prohibita notantes. Petrus Paulus Vergerius in primo ſuorum operum contra Papatum tomo (*e*) cum annotationibus ſuis recuſum exhibuit Pauli IV. P. M. Indicem Romæ antea An. 1559. publicatum cujus copia Clar. Franco cum haud fue-

(*c*) In Diſquiſ. de Papiſtarum Indicibus librorum prohibitorum & expurgandorum, Lipſ. A. 1684. in 4. edita.

(*d*) An & expurgandarum, neſcio.

(*e*) Pag. 245. ſqq.

fuerit (*f*), paucula de illo monere operæ videtur pretium. Sub ejus finem Bibliorum editiones prohibitæ XLVIII. enarrantur, quarum pleræque in locis Pontifici addictis typis sunt exscriptæ, Antwerpiæ scilicet, Lugduni, Parisiis, Venetiis & Coloniæ: Additurque, prohiberi etiam universa similia Biblia ubicunque excusa, omnia item vulgari idiomate, Germanico, Gallico, Hispanico, Italico, Anglico, Flandrico &c. conscripta: recensentur præterea undecim Novi Testamenti editiones cum omnibus similibus nec non ejus in vulgari idioma translationibus prohibitæ: tandemque typographi LXI. nominetenus indicantur, quorum officinæ hac gravantur pœna, ut omnia opera, inde in lucem prodeuntia, inter vetita reponantur. Tali enim coronide egregius iste catalogus obsignatur: *Libri, tractatus, & opera omnia cujuscunque auctoris, artis, idiomatis & argumenti sint, quæcunque typis, arte, vel industria prædictorum & similium impressorum, libros hæreticorum imprimentium posthac excusa fuerint, inter prohibita habeantur.*

(*f*) Vid. l. c. p. 3. 6.

beantur. Sunt vero inter iſtos, ut alios taceam, Joannes Secerius. Robertus Stephanus, Herwagius, Henricus Petri, & Joannes Oporinus, quorum induſtriæ tot præſtantiſſimas optimorum auctorum editiones melior orbis acceptas fert, quibus omnibus carendum fuit Romanæ curiæ mancipiis. De hujusce rei momento vel ex ſolo catalogo librorum per Joannem Oporinum excuſorum (*g*) judicare licet: eorum quippe numerus ad DCCL. aſſurgit, quem auctarum ſe, ac multa alia, divina juvante gratia, in lucem daturum, ſub calcem Vir longe diligentiſſimus, vivus tum adhuc ac ſpirans, promiſit, cujus in hanc typographorum proſcriptionem carmen non inelegans extat (*b*). Obſervari vero meretur, illum Bibliorum prohibitorum ac typographorum catalogum non inveniri in Indice Synodi Tridentinæ, neque in cæteris poſthac emiſſis.

§. V.

(*g*) Qui reperitur in B. Chriſtiani Cryphii Vitis ſelectis quorundam eruditiſſimorum ac illuſtrium Virorum p. 637. ſqq.

(*b*) Annexum cum ejusmodi aliis Thomæ Naogeorgi Regno Papiſtico edit. 1559. p. 319.

§. V.

Num autem censorum, penes quos est ferre de literariis fœtibus sententiam, iisque vel lucis usuram dare, vel carceri aut morti eos addicere, oculi nulla iuffusione sint vitiati, judicent illi, qui animo integri, nec præjudiciatis opinionibus corrupti sunt. Non certe desunt ex ipso Romano cœtu Viri spectati, qui grandes iis impegere dicas, de eorum iniquitate graviter conquesti. Exemplo sit Theophilus Raynaudus Jesuita, devotus curiæ Romanæ cultor & Protestantium hostis acerrimus, qui Romæ præsertim in damnandis libris non semper eam curam & fidem atque peritiam Cyriacos sive Monachos Dominicanos, quibus ea res in manu est, adhibere, qualibus negotium illud tractari par est, publice evincere laboravit peculiari libello, de Immunitate Cyriacorum a censura, sub personato Petri a Valle clausa nomine edito, cujus quædam verba oppido memorabilia recitat B. Wagenseilius in præfatione eruditissima, & optima fruge scatente, quam Telis igneis Satanæ præmisit (*i*), ubi

(*i*) Pag. 19. sqq.

ubi & alia Pontificiorum domeſtica hac de re teſtimonia legere licet.

§. VI.

Tanta vero ſacræ iſtius (*ii*) congregationis decretorum eſt ſeveritas, ut non ii ſolum, qui prohibitos libros typis exſcribunt, vel ſine Romanæ ſedis venia legunt, aut quoquo modo defendunt, ſed & illi, qui eos, etiamſi in arca occluſos & clavibus obſignatos, ita ut a nemine legi aut videri permittantur, occulte retinent, ſive in propria, ſive in aliena domo, ſive librum intelligant, ſive non, ſive totum retineant, ſive partem, ſive retineant, ut legant, ſive ſolum cauſa curioſitatis, ornatus, vel permutandi eos cum aliis libris, ſeu ut ea quæ vendunt librorum foliis obvolvant, diro anathematis fulmine percellantur. Quid quod ii etiam, qui librum hæreticum Inquiſitoribus non tradunt; ſed propria auctoritate comburunt, non qui-

(*ii*) De hac congregatione conf. Hunoldi Plettenbergii Soc. Jeſ. Notitia Congregationum Tribunalium Curiæ Romanæ, edit. Hildeſ. An. 1693. in 8. p. 713. ſqq.

dem de hæresi suspecti fiunt, attamen in excommunicationem incidunt. Isteque vigor eo usque se extendit, ut & ipsos Clericos, immo, quæ nonnullorum est sententia, etiam Episcopos, quin & ipsos Cardinales comprehendat, qui absque Papæ licentia libros damnatos legunt; quæ omnia curate persequitur, idoneisque testimoniis firmat celebris Remonstrantium theologus, Philippus a Limborch (*k*). Quantas autem, quæso, nos optimo Numini debemus gratias, quas laudes, quod ab isthac servitute plusquam Ægyptiaca benigne nos liberaverit.

§. VII.

Moris olim erat, in Bibliothecis libros, majoris præcipue molis, catenis alligare, non pœnæ quidem aut infamiæ causa, sed ut a piceatis furum manibus sarti tectique servarentur. Quum vero pro ævi genio boni codices plerumque neglecti jacerent, carie obsiti, contemtimque habiti nec facile

(*k*) In Historia Inquisitionis Lib. III. Cap. 14. f. 218. sq.

cile iis vincula detraherentur, Georgius Sabinus in indignos quosdam illorum poſſeſſores hoc epigrammate inſurrexit:

Haud ſecus ac duro fugitivos carcere ſervat
Veſtra catenatos bibliothcca libros.
Quid mirum? ſi nulla viget doctrina, colendi
Doctrinæ auctores hic ubi vincla gerunt.

Satis pœnæ bonis auctoribus inflictum eſſe videtur, ſi in ejusmodi dominos incidant, qui nec ipſi eis uti cupiunt, neque aliis illorum uſuram concedunt. Aut fallor, aut optime in hujus furfuris homines, quamvis opulentiſſimas poſſideant Bibliothecas Arabumque gazis præſtantiores, convenit illud Horatianum (*l*):

Si quis emat citharas, emptas comportet in unum,
Nec ſtudio citharæ, nec Muſæ deditus ulli:
Si ſcalpra & formas non ſutor: nautica vela

(*l*) L. II. Sat. III. v. 104. ſqq.

Adversus mercaturis, delirus & amens
Undique dicatur merito. Quid discrepat istis,
Qui nummos aurumque recondit, nescius uti
Compositis, metuensque velut contingere sacrum?
Si quis ad ingentem frumenti semper acervum
Porrectus vigilet cum longo fuste: neque illinc
Audeat esuriens Dominus contingere granum,
Ac potius foliis parcus vescatur amaris;
Si positis intus Chii veterisque Falerni
Mille cadis (nihil est, trecentum millibus) acre
Potet acetum: age si & stramentis incubet unde

Sed e diverticulo in viam, a libris catenatis ad proscriptos redeundum. Non facile est hodie inter Pontificios Bibliotheca celebrior, seu publica, seu monastica, in qua non, pace inquisitorum, plures reperiantur libri hæretici & damnati (uti vocare amant) sed ignominiose habiti, lugubri interdum & funesta veste induti,

duti, ſeorſim poſiti, nec niſi pauciſſimorum, quibus ſpecialis impetranda eſt licentia, uſui patentes. Licet autem non ſint catenati, clathris tamen ac peculiari capſæ nonnunquam ita ſunt incluſi, ut rigido carcere conſtringi videantur. Eum locum ab aliquibus *Inferni* titulo ſalutari nuper diximus (*m*). Pertinet huc ſalis mellisque plenum elegantiſſimi D. Theod. Haſæi epigramma (*n*).

Dum quondam cupidis mihi luſtrabatur ocellis
Egregiis ſplendens Bibliotheca libris,
Quos ſibi ſumentes a JESU nomina Patres
Legere ad (o) Rheni littora lata ſuis:
Quæro forte: adſuntne libri, quos edidit olim
Docta, ſed a Latiis turba aliena ſacris?
En tibi theca libris, quos quæris, plena,
GEHENNAE
Aſt cui nomen, ait, triſte dedere Patres.

(*m*) Tom. VII. p. 117.
(*n*) Vid. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VII. p. 951.
(*o*) Coloniæ Ubiorum.

Ergone, respondi, in sacris penetralibus istis,
Docte Pater, Stygii cernitur aula Ducis?
Limen ubi tetrum rigidi calcatur Averni,
Non procul atrati Dæmones esse solent.

§. VIII.

Diximus de libris præscriptis, catenatis, & ad perpetuos damnatis carceres, nunc ad mutilatos progrediemur. Haud enim secus, ac inter homines fieri assolet, cum facinorosis, mortis pœnam promeritis, ea lege vitæ gratia fit, ut vel naso vel auribus, aliisve membris inusto nonnunquam simul stigmate, truncentur, haud secus, inquam, multi optimæ notæ libri, cedro, non pumicibus, non vindice stylo, non cauteriis & novaculis expurgatoriis digni, immiti censorum manu crudelissime sæpius lancinantur & mutilantur, ut tamen iis corpore toto ita misere laniatis, insignis, sed flebilis certe, beneficii loco habendum sit, quod ignem evaserint. Ejus rei testes, omni exceptione majores, esse possunt indices Expurgatorii, non alium in finem confecti, quam ut in libris resecentur ea, quæ

quæ ad cenſorum haud ſunt palatum, quorum etiam imperio exquiſitiſſimorum ſæpe operum frontiſpicia ſtigmatum notis deformantur, ut ſcilicet auctorum nomini DAMNATORUM adjiciatur elogium, & cum in titulis, tum in ipſo contextu omnia illa deleri jubeantur, quæ ad meritas quorumcunque a Romano cœtu alienorum laudes faciunt, ne ſummorum quidem Principum ratione hic habita. Vidimus nos haud ſemel iſtiusmodi libros feneſtratos & cancellatos, atque truculentam cenſorum manum jam paſſos, & Ulmæ quidem in Bibliotheca publica S. Hieronymi opera, ab Eraſmo edita (*p*). Ipſius vero Eraſmi lucubrationes Chriſtophorus Arnoldus, Norinbergæ ſuæ quondam decus, in Bibliotheca publica Daventrienſi ab ineptis glutinatoribus per omnes paginas charta feneſtrata in locis iſtis obtectas in quibus acerrimi judicii Scriptor temporis iſtius Eccleſiam & mores Religioſorum notaverat, perluſtraſſe ſe teſtatur (*q*), proinde

(*p*) Vid. hujus opellæ Tom. II. p. 432.

(*q*) In epiſtola ad Georg. Richterum Lugd. Bat. A. 1650. d. 2. Aug. exarata, & inſerta Richteri Epiſtolis ſelectioribus p. 471.

inde judicans, operæ fore pretium, si quis glutinatorum vestigia relegens, chartis scalpello parum elevatis, insignes illas περικοπας excerperet. Verum isthoc labore opus haud esse arbitror, cum otium nobis fecerint Indices Expurgatorii, e quibus facilius loca illa cognoscere licet. Disces inde non sine indignatione, magna, eaque optima sui parte truncari eximia Viri laudatissimi scripta. Equidem in Indice Belgico, Philippi II. jussu concinnato permulta jam in iis expungenda fuere indicata (r); longe tamen plura abolita & recisa (delendis enim vix integra sufficerent atramentaria) vult in suo (s) Bernardus de Sandoval & Roxas Cardinalis & Archiepiscopus Toletanus, qui non Erasmi tantum nomini AUCTORIS DAMNATI elogium, adscribi, sed & ejus operum fronti hoc stigma inuri jussit: *Opera omnia Erasmi caute legenda: tam multa enim*

(r) p. 225. sqq. edit. Franc. Jun.

(s) p. 228. sqq. edit. Gen. 1619. Minus igitur recte Ben. Arias Montanus in præfatione Indicis Belgici existimavit, in eo observata esse loca omnia, in quibus aliqua vel minima offensio, vel offensionis suspicio notari posset, nullis etiam levissimis rebus prætermissis.

enim insunt correctione digna, ut vix omnia expurgari possint. Videbis ibi integras paginas, integras epistolas, non ab eo duntaxat ad alios, verum etiam ab aliis, iisque non raro Ecclesiæ Romanæ deditissimis, Cardinalibus etiam ac Episcopis, ad ipsum exaratas, lituris devotas, immo integra opera, Colloquia videlicet familiaria, Moriæ encomium, Christiani Matrimonii institutionem &c. expuncta. Mirum, quod non etiam proscripta sit epistola Leonis X. P. M. Novo Testamento præmissa, & debitis Erasmum laudibus prosequens, ad cujus marginem ponenda mandantur verba: *Dulcibus encomiis pius Pater mutantem ovem allicere conatur.* E Synodi præterea Tridentinæ decreto Adagiorum ejus Chiliades corrigendæ traditæ fuerunt Paulo Manutio, sub cujus nomine ita refictæ & castratæ dein prodierunt, ne quidem mentione Erasmi habita, utpote istorum censorum judicio digni, cujus nomen in perpetua oblivione jaceat. In istiusmodi exemplari non sine miseratione lectorum Vir maximus talem se conspiciendum præbet, qualem apud inferos Deiphobum olim vidit Æneas, nempe

lacerum crudeliter ora,
Ora manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus truncas inhoneſto vulnere nares. (t)

Ecquis vero non heic itidem exclamet?

Quis tam crudeles optavit ſumere pœnas?
Cui tantum de te licuit?

Cæterum de hujus generis libris obſervatu haud indignum eſt, Philippum II. in diplomate Indici Belgico præfixo hanc circumſpectionem adhiberi iuſſiſſe, ut a cenſoribus expurgati vel mutilati potius & corrupti poſſeſſoribus ſuis ea lege reſtituantur, ne illa legere audeant, quæ inducta aut correcta inveniunt.

§. IX.

Sicco jam pede prætereo opera, quæ ex ipſo prælo typographico prodiere caſtrata, quod Henrici Cornelii Agrippæ Declamationi de incertitudine & vanitate ſcientiarum contigiſſe, alio tempore demonſtratum dedi

(t) Virgil. Æneid. Lib. VI.

dedi (*u*): plura vero exempla Francus, Loeſcherus, & Wendlerus Viri doctiſſimi ſuppeditant. Pergo ad aliud pœnæ genus, quo libellus quidam Emſeri, convitiis in Lutherum refertus, olim fuit affectus, infami nimirum columnæ affixus, quod ipſe Lutherus (*x*) memoriæ prodidit: *Emſeri liber Magdeburgi fixus in publico palo, quod Sack ſeu den Pranger vocant, adjectis hinc & hinc duabus virgis ſeu ſcopis, adjecto titulo: Hic locus tali libro dignus.* Quinimo cum Gregorius XIII. P. M. An. 1591. Henricum IV. Galliæ Regem dira excommunicationis Bulla devovere haud eſſet veritus, illam Parlamentum Pariſienſe, Turonibus tum agens, damnaſſe, carnificisque manu patibulo affixam igne abſumi juſſiſſe, Guilielmus Camdenus (*y*) refert.

§. X.

Nec prorſus extra uſum poſitum eſt, libros capite truncare: quod ne tibi impoſſi-

(*u*) Tom. II. p. 513. ſqq.
(*x*) Tom. I. Epiſtol. Latin. Epiſt. 218.
(*y*) In Annal. rerum Anglic. & Hibern. regnante Eliſabetha Part. IV. p. 614.

possibile videatur, me ejus rei testem ἀυλοπλην sisto. Vidi nimirum non adeo longo abhinc tempore in insignis cujusdam Monasterii Bibliotheca complures libros prohibitos, titulis suis, nonnunquam & dedicationibus, iconibusque auctorum interdum operibus præmissis vel penitus vel ita orbatos, ut exigua duntaxat supersint fragmina. Quod tam ignominiæ causa fieri suspicor, quam ne forte Monacho istorum librorum insueti eos data occasione furtim lustrantes primo statim intuitu illorum argumentum agnoscant, hincque, cum nitiplerumque in vetitum soleamus, eorum legendorum desiderio moveantur.

§. XI.

Non raro etiam summorum imperantium jussu scripta quædam publice discerpta & lacerata fuerunt. En tibi nonnulla exempla. Benedicti XIII. Antipapæ Bullam in Carolum VI. Galliæ Regem emissam, tanquam libellum famosum, qui vellicaret auctoritatem Regis, publice dilaceratam, latoresque ejus infamibus trahis impositos urbe Parisiensi ejectos esse memo-

memorat Antonius Arnaldus ICtus(*z*). Idem quoque fatum An. 1583. experta ſunt Franciſci Roſerii Stemmata Lotharingiæ & Barri Ducum, de quibus Henricus Spondanus, Appamiarum, dum viveret, in Gallia Narbonenſi Epiſcopus, hæc tradit (*a*): *Ediderat Lutetiæ ante biennium Franciſcus Roſerius Archidiaconus Tullenſis, prædicti* (Lotharingiæ) *Ducis ſubditus, grande volumen titulo Stemmata Lotharingiæ ac Barri Ducum, confuſe & inepte plerumque ſcriptum: in quo non ſolum plura Lotharingiis contra hiſtoriæ fidem tribuebat, verum etiam multa dignitati regni pari vanitate detrahebat; & ad extremum quædam injurioſe in Regis contumeliam adjecerat, ajens, eum, poſtquam Remis inunctus eſt & Lutetiam profectus, male audiſſe, quaſi a publico rerum ſtatu videretur alienior: domeſticæ quippe privataque curæ indulgere cœpiſſe, nutare, certoque duci perſuaſu: quæ ſingula generoſum Regem emolliant & dejiciant. Quæ licet ex vulgi opinione & turbulentorum diſſemina-*

(*z*) In Philippica nomine Univerſitatis Pariſienſis in Jeſuitas reos A. 1594. habita, p. m. 23.

(*a*) In Continuatione Annalium Baronii Tom. II. f. 810.

mination ab eo dicta verosimile sit: quod tamen suspicionem feciſſet, Lotharingiorum jussu seu consilio ea protuliſſe, Rex ubi rem cognovit, injuriam minime negligendam censens, Roserium comprehendi & in carcerem duci jussit. Unde 26. Aprilis productus, coram Rege in consilio sedente cum ipso Carolo Duce Lotharingiæ, qui Lutetiam venerat ad Regem placandum, & Guisiis fratribus, ac magna cæterorum procerum corona, in genua procumbens, multa se calumnioſe præter historiæ veritatem contra regiæ majestatis dignitatem dixiſſe confeſſus, propter quæ gravissima se pœna dignum agnoſceret, etiamsi imprudentia potius quam certo animi consilio peccaſſet, veniam voce lamentabili petiit. Quem cum Philippus Huraldus Comes Chivernius Procancellarius graviter increpitum ostendiſſet in crimen læsæ majestatis incurriſſe, postulante tamen Regina matre in gratiam Ducis Lotharingiæ, Rex pœnam ei remiſit, lacerato duntaxat in ejus præsentia libro.

§. XII.

Ibidem A. 1595. Florens Jacob, Theologiæ studio initiatus præside Thoma Blanzio theses quasdam typis excusas ventilationi publicæ in schola Sorbonica expoſuit, in qui-

quibus asserebat, minime ambigendum, Sanctæ Sedis legitimum successorem Clementem VIII. omnium Pontificum supremum & maximum, vices DEI in terris gerentem, supremam in omneis potestatem obtinere, tam spiritualem quam temporalem, eique universos Cardinales, Episcopos & omneis omnis generis homineis parere & obedire & veluti membra capiti adhærere perpetuo teneri: paulo post subjungens, domum ecclesiasticam, cum duplicis habeat gladii potestatem, temporalis usum ad bonorum defensionem & malorum exterminium regibus & magistratibus concessisse. Quæ res quum regiæ auctoritati videretur adversa, Respondens cum Præside in carcerem detrusus, & ille quidem, quod eas theses typis excudi curasset, & tuendas suscepisset, deinde in majore Scholæ Sorbonicæ aula, ad tintinnabili pulsum convocatis Decano, Syndico, Doctoribus Theologis & huic studio initiatis, genibus flexis, capite nudo, præsente etiam Blanzio, illas ipse temeritatis damnare, atque a DEO Rege ac justitia veniam petere fuit coactus: quo facto, ut theses concerperentur & lacerarentur, mandatum est. (*b*)

§. XIII.

(*b*) vid. Thuan. Hist. Tom. III. L. CXIV. f. 700. ad A. 1595.

§. XIII.

Quum A. 1610. Henricus IV. Galliarum Rex nefando parricidio sublatus esset, non defuere, qui teterrimi illius facinoris culpam in Jesuitas referrent, ac perfidissimum sicarium Franciscum Ravaillacum eorum vel instinctu vel doctrina ad tantum scelus perpetrandum fuisse animatum perhiberent. Primas inter hos tenet auctor *Anticotoni*, Satiræ aculeatissimæ, in Petri Cotoni Epistolam de conformitate doctrinæ Jesuitarum cum Synodi Tridentinæ decretis eo ipso anno emissæ, cujus historiam & scripta ei opposita diligenter ennarrat Adrianus Bailletus (*c*). Nonnulla tamen de libri fatis adjicienda mihi in promtu sunt. Nempe cum Cotonus, qui antea Henrico IV. a confessionibus erat, tum Ludovici XIII. ejus & successoris præceptor fuerit, mirum haud est, istius libri divulgationem non impune abiisse, Joannes quippe Antonius Jovalinus bibliopola, qui illum per urbem Parisiensem disperserat, graviter mulctatus, & in exilium ejectus, ipse vero liber publice lacera-

(*c*) Tr. Des Satires personnelles Part. I. p. 107. sqq. edit. Amster. 1725. in 12.

ceratus fuit, docente id decreto (*d*), cujus hæc verba ſunt: *Dictum habebitur ex conſilii ſententia, audito ſuper hac cauſa Procuratore Regio, quod ad reparationem eorum caſuum, qui fuſius in ipſo litis inſtrumento continentur, Joannes Antonius Jovalinus damnatus eſt, ipſumque damnamus ad mulctam honorariam foro faciendam, ipſo die fori, cum forum agetur, ubi nudato præter induſium corpore, apertoque capite, flexis genibus, ſuſpenſa e collo reſte, ac facem pondo duarum librarum manu geſtans, alta voce, ut exaudiri poſſit, renunciabit, quod ſceleſte & malitioſe per diverſa hujus urbis loca projecerit & ſparſerit folia, ſeu chartas impreſſas extractas ex libro quodam pernicioſo & maligno, qui Anticotonus inſcribitur, ad turbandam quietem publicam, excitandas turbas, & ſeditionem in hac civitate movendam compoſito, quod fuſius habetur in inſtrumento litis, cujus facti petet a DEO, Rege & juſtitia veniam. In ipſius autem præſentia prædicta folia ſeu chartæ frangentur & dilacerabuntur. Inhibemus autem illi, & interdicimus ſub pœna capitis, ne ſimile quid committat in poſterum.*

(*d*) Quod exhibet Andreas Eudæmon-Joannes in Cofutatione AntiCotoni p. 45. ſq.

Cæterum ad quinque integros annos Regni Galliæ exilio illum mulctavimus & mulctamus. Quum vero Anticotoni auctor nomen suum reticuerit, ac loco ejus epistolæ dedicatoriæ ad Galliæ Reginam tantum P. D. C. characteres subscripserit, Eudæmon-Joannes, qui eum hinc trium literarum hominem appellat, varios in illas notas lusus, sed satis dentatos, refert, iisque significari ait (*e*) *Proditorem Dignum Cruce, Principem Diabolici Consilii, Patriæ Diram Calamitatem, Pejorem Diabolo Calumniatorem, Putidum Discipulum Calvini.* Verus autem auctor aliis Petrus Molinæus, aliis Petrus du Coignet dicitur.

§. XIV.

Neque vero hodie in Gallia iste libros discerpendi mos exolevit. Hoc enim fatum A. 1713. mense Martio Parisiis haud sine adjectis aliis ignominiæ notis subiisse feruntur Viri non pietate minus & modestia, quam eruditione celebris Paschasii Quenelli scripta, tot eminentissimorum virorum elogiis honorata, & regio quoque privilegio

(*e*) In Præfat.

vilegio munita. Non poſſum, quin elegantis cujusdam & maſculo judicio præditi (*f*) Scriptoris verba hanc in rem recitem, prolixa licet, ſed acumine non deſtituta, adeoque lectu digniſſima: *Solches ihr Todes-Urtheil haben dieſe arme Bücher der Jeſuitiſchen Verfolgung zu dancken: welche* Patres *aber mit ſothaner* Execution *bey der vernünfftigen Chriſtlichen Welt nur ein Gelächter erwecket, und ihre abgezweckte Austilgung der darinnen enthaltenen Lehren im geringſten nicht erlanget. Denn geſezt, daſs etliche hundert* Exemplaria *zerriſſen und hernach verbrannt, oder ins Meer geſchüttet wären, wo es am tiefſten iſt: ſo werden doch deren noch viele* 1000. *in Engelland, Holland, Deutſchland, ja in Franckreich ſelbſt überbleiben, die vor der Zerreiſſung und dem Brand ſchon geſichert ſind. Eine Schwalbe macht keinen Sommer, und die* Exemplaria *ſtecken nicht alle in* Paris *auf einem Klumpen beyſammen, daſs ſie der Policey-*Lieutenant *auf einmal vertilgen könne, als wie* Caligula *wünſchte, daſs die Römiſche Monarchie einen einzigen Kopff hätte, damit er ſelben auf einen Hieb herunter ſäbeln, und ſich* immortaliſiren *könnte.* Au contraire,

(*f*) *Europäiſche* Fama. Part. 168. p. 1041. ſq.

je mehr man den Hencker über gedruckte Schrifften rasen läst, je bessern Profit machen die Verleger damit, weil die Curiosität *der Menschen sich am allermeisten über verbotene Sachen* extendiret. *Die unerbittlichen* Autores *dieser Parisischen Bücher-*Execution *hätten nicht die Bücher, sondern den* P. Quesnel *selbst in Stücken zerreissen sollen, ehe er dieselbigen geschrieben und in Druck gegeben. Sie hätten zugleich alle Druckereyen* demoliren *sollen, damit sie nicht anderwerts widerum unter die Presse kämen. Sie solten Anstalt machen, dass alle Gänse, Auerhüner, Pfauen, Schwäne und Adler, derer Federn man sich zum Schreiben bedienet, durch eine schlimmere* Contagion, *als bisher das Rindvieh betroffen,* crepiren *möchten, damit ihre Federn nicht zum* Instrumento *dienten, solche Schrifften abzuschreiben, oder andre neue von gleichen Innhalt zu* concipiren, &c. Hæc propterea transferre huc libuit, quod ita sint concepta, ut facile ad plerasque alias pœnas, in libros statutas, accommodari posse videantur.

§. XV.

Nondum suppliciorum de libris sumtorum finis est. Supersunt & alia. Immensam

ſam librorum vim undis immerſiſſe Mujaviam, Sarracenorum Ducem, in ſuperiori parte (*g*) diximus. Sic Alexander Magnus per fluvium Hydaſpem navigans, cum ei Ariſtobulus poëta quidam carmen obtuliſſet, in quo ei ita aſſentabatur, ut elephantos interimere, turres proſternere, muros perfodere diceret, indignatus, librum in profluentem abjecit, ſimilia auctori minatus, ſi tale quid in poſterum ederet (*gg*). Neque κατα πονλισμα pœnam ii olim effugerunt, ſi credendum eſſet ſubleſtæ fidei & auctoritatis ſcriptori, Abdiæ Babylonio, tradenti (*h*). Hermogenem hæreticum, ad ſaniorem mentem reverſum, libros ſuos ad Jacobi Apoſtoli pedes, ut igne abſumerentur, abjeciſſe, hunc vero Zabariis (*hh*) lapides plumbumque appendi, ac ea in mare demitti juſſiſſe, ne forte incendii odor vexaret incautos. Quin imo, Regis Tarquinii mandato non libros quidem, ſed quod longe gravius eſt, ipſum M. Tullium Dum-

(*g*) p. 91. ſqq.
(*gg*) Vid. Gyrald. Dial. 3. de hiſt. Poët.
(*h*) Lib. IV. Certaminis Apoſtolici.
(*hh*) Sic pro *Zabyris* legendum vult Meurſius. vid. Martinii Lexicon Philolog. Tom. II. edit. Amſt. 1701. f. 868. voc. *Zabaria*.

umvirum, quod librum secreta civilium sacrorum continentem, custodiæ suæ commissum, Petronio Sabino describendum dedisset, culeo insutum & in mare abjectum fuisse, Valerius Maximus refert (*i*). Libros vero sacros, splendida prius veste (serico etenim auroque antea, cum sanioris adhuc mentis esset, indui eos curaverat) spoliatos superiori seculo in persecutione Bohemica Baro Georgius Nachod apostata ipsis fœtidis cloacis (horresco referens) immergi jussit (*k*).

§. XVI.

Ad ultimum tandem ignis supplicium properat calamus, harum rerum jam pertæsus. Id quam plurima scripta esse passa, neminem facile fugit. Accesserunt vero nonnunquam solennes ceremoniæ. En exemplum! quod ex Lupacii cujusdam, qui rei præsens adfuit, literis haustum (*l*) suggerit Joachimus Camerarius, narrans, cum (Pragæ) ab Archiepiscopo & Pontificia cohorte libri illi (Wiclefi scilicet sub seculi XV. initium)

(*i*) Lib. I. Cap. I.

(*k*) vid. *Böhmisches Martyr-Büchlein*, Edit. Bas. 1650. in 12. p. 605.

(*l*) in Narrat. de Fratr. Bohem. p. 33. sq.

tium) cremati fuiſſent, congregatos Scholaſticos quosdam magno numero inſtructos armis, conquiſita Papalia diplomata, quæ Bullas vocant, in carrucam plumbeis ſigillis undique dependentibus conjeciſſe. Impoſuiſſe etiam in carrucam ſpeciem muliebrem edentem geſtus impudicos cum pretioſo ornatu gemmarum & auri omnisque mundi ſexus illius. Eam carrucam ex foro veteris urbis præter Regiam eſſe actam, comitatu ſingulares clamores edente. Cumque perventum fuiſſet ad forum novæ urbis, ibi aſſimulata illa muliere dejecta carrucam una cum Bullis, ut par pari referrent, eos combuſſiſſe, eſſeque creditum, totam iſtam fabulam ſpectatorem habuiſſe etiam ipſum Regem.

§. XVII.

Peculiarem de libris combuſtis diſſertationem in ſuperiori tomo exhibuimus, cui jam nonnulla per ſpicilegium addenda ſunt. In nova Hiſpania haud paucos veteres libros, antiquam hiſtoriam, ſiderum motus, naturamque & indolem animalium ac plantarum tradentes cujusdam Hiſpanici Epiſcopi, qui eos, quod literis hieroglyphicis con-

scripti erant, magiæ suspectos habuerat, jussu in cineres fuisse redactos Josephus Acosta memorat. Cum Martini Buceri & Pauli Fagii cadaveribus, Mariæ Angliæ Reginæ mandato exhumatis, libri Protestantium undique conquisiti magno numero concremati sunt (*m*). Lutetiæ circa annum 1569. libri officinæ Andreæ Wechelii, typographi ac Bibliopolæ notissimi, publice combusti fuerunt, omnibus ejus bonis fisco simul addictis, & ipso regni limitibus proscripto (*n*).

§. XVIII.

Librorum vero incensoribus annumerandus est Jo. Balæus, qui, teste Jo. Picardo, quotquot viderat scriptorum Anglicorum volumina, exscriptis eorum titulis, aut igne aut ungue disperdidit (*o*). In hunc etiam censum referendus est Georgius Rüxnerus, cujus liber torneamentorum,

(*m*) Vid. Limborch. Histor. Inquis. L. IV. C. 38. f. 361.

(*n*) Vid. Melch. Adami Vit. ICtorum p. 431. & Bail. Diction. Tom. IV. f. 2863.

(*o*) Vid. Struvii Acta literaria a MSStis eruta. Fascic. VI. p. 66.

rum, ſed ſubleſtæ fidei, extat. Ipſe enim in præfatione fatetur, Codicem antiquum, Saxonico idiomate conſcriptum, in quo torneamentorum hiſtoria continebatur, ſe comburendum curaviſſe, ut majori ſcilicet licentia lectoribus ſuis imponere poſſet (*p*). Addendi ſunt Judæi, quos Chriſtianorum libros igni adjudicare Wagenſeilius (*q*) docet. Eruditis autem ἐμβρυοκλονοις accenſendus venit D. Lupton Anglus, ſub hujusce anni initium demortuus, qui omnes lucubrationes ſuas in extremæ voluntatis tabulis Vulcano legavit (*r*).

§. XIX.

Diſquiri nunc de jure pœnarum in libros ſtatutarum poſſet, ac num eos ſupprimere vel hac illave ratione abolere deceat expediatque diſpici: ſed contentus de hoc argumento hiſtorice diſſeruiſſe, aliis illud plenius excutiendum permitto,

(*p*) Vid. ejusd. Diſſert. de doctis Impoſtoribus §. XLIX. p. 71.

(*q*) In præf. Tel. ign. p. 13. ſq.

(*r*) Vid. *Sammlung von Alten und Neuen Theologiſchen Sachen* ad A. 1727. p. 164.

paucula tantum obiter notaturus. Optandum foret quam maxime, ut nullus unquam in lucem liber prodiisset prodiretve in posterum, nisi sua utilitate, nisi nativa præstantia vel decora jucunditate commendabilis, atque adeo reipsa luce dignus: quum vero hoc ob hominum indolem in pejus pronam sperandum haud sit, nemo facile negabit, magistratus curam etiam in eo versari debere, ne libri impii & obscœni, vel seditiosi & quietem reipublicæ turbantes, disseminentur. Nemo facile bonus & æqui honestique amans mecum non in votis habebit, ut in ipso partu fœtus ingeniorum impiorum, turbulentorum lascivorumque suffocentur, atque ita antequam nascantur pereant, æternisque sepulti tenebris maneant. Sed ut hoc obtineatur, sollicite cavendum foret, ne ulla unquam istiusmodi scripta pernicioſa & detestabilia prælum subeant, atque hinc summa circa officinas typographicas circumspectio adhibenda. Semel enim in publicum emissa, non facile ulla solertia aboleri possunt: & licet magistratus ad malitiæ detestationem, auctorum pœnam, aliorumque ejusdem furfuris repressionem hujusmodi libros typis excusos infamia vel

suppli-

ſupplicio afficiat, ac quovis ſtudio e medio tollere conetur ; plerumque tamen homines ea avidius appetere videas, a quibus arcentur. Nec cujusdam Principis poteſtas eo usque ſe extendit, ut, quæ in ſuis regionibus vetita ac abolita cupit, in aliis etiam ſupprimantur. Sæpe quæ in Gallia carnificis manus rogo injecit, vel in mille fruſta diſcerpſit, Belgium novo ornatu decorata omnium uſui expoſuit, & quæ Roma infamiæ macula notavit, alibi non ſine appenſa hedera libere fuerunt divendita. Neque raro publicæ & ſolennes animadverſiones in libros exercitæ, majus eorum, cum alias forte neglecti fuiſſent, (*omnium* enim *rerum cupido*, judice Plinio juniore, *langueſcit, cum facilis occaſio eſt*) excitarunt deſiderium, pretiumque iis, quo revera indigniſſimi erant, addiderunt. Unde eam in rem non in concinne Æg. Managius (*s*) *Défendez-moi, l'on me lira. Je dis cela de la plûpart des livres dont on defend le débit, car aſſeurément on ne les lit que parce qu'ils ſont défendus, quoi qu'ils ne vaillent pas quelquefois la peine d'être lûs.* Et

(*s*) Menagian. Tom. IV. p. 95.

Et Grammondus de Tomo XI. Annalium Baronii ab Hispanis prohibito & combusto verba faciens (*t*): *Vana in membranas supplicia, vetito gliscit autoritas rerum, splendescitque per flammas alias obscurus liber. Privatim acrius legi amant publice castigata. Ita cessit Baronio, cujus opus in majus auditum, quia vetitum.* Nec inscite, mea quidem sententia, cum de libro quodam cremando consultaretur, magnus Conringius ita judicavit (*u*). *Ut Hippoliti a Lapide scriptum* (*x*) *manu carnificis comburatur nescio quidem, an sit consultum. Quid enim eo profeceris? num possit ita liber ille mani-*

(*t*) Histor. Gall. Lib. I. p. 11. edit. Elzevir. 1653.

(*u*) In Conringian. Epistol. p. 52.

(*x*) De ratione status in imperio Germanico. Prodiit istius libri nostro sæculo versio Gallica, cujus en titulum: *Interets des Princes d' Alemagne: Où l'on voit ce que c'est que cet Empire la Raison d'Etat suivant laquelle il devoit être gouverné, les fautes, qui s'y commettent contre la Politique, dont on y neglige les veritables Maximes, & les moyens sûrs & faciles de le rétablir son ancienne splendeur, & de l'y conserver, sous le nom d' Hippolitus a Lapide par Joachim de Transee Ambassadeur de Sa Majeste Suedoise pres Monsieur l'Electeur de Brandebourg lors de la Negociation des préliminaires du Traite de Westphalie. Traduit par Mr. Bourgois du Chastenet. Tom. II. A. Freistade. MDCCXII. in 12.*

manibus excuti? Neſcis, quam late ſpargantur faville combuſtorum librorum? diſſimulata & neglecta quaſi ſponte tandem intereunt, quæ ſi fodias, ingentem in flammam tandem erumpunt. Hinc non defuere, qui ipſi, cum libros ſuos emtores haud invenire, ſed neglectos jacere animadverterent, ut inter vetitos referrentur, curarunt, carius illis ſic pretium avidioresque lectores conciliaturi. Exemplum tale memoratur in Carpentarianis (y): *La Mothe-le-Vayer aïant fait un Livre de durdébit, ſon Libraire vint lui en faire ſes plaintes, & le prier d'y remedier par quelque autre Ouvrage. Il lui dit de ne ſe point mettre en peine; qu'il avoit eſſez de pouvoir à la Cour pour faire défendre, ſon Livre; & qu'étant défendu, il en vendroit autant qu'il voudroit. Lorſqu'il l'eut fait défendre, ce qu'il predit arriva; chacun courut acheter ce Livre, & le Libraire fut obligé de le ré imprimer promptement, pour pouvoir en fournir à tout le monde.*

§. XX.

Quin & eo interdum proceſſit nonnullorum temeritas, ut dedita opera ex perverſiſſimo

(y) p. 337.

versissimo & Herostrateo plane inclarescendi pruritu varia magistratus animadversione digna scriptis suis inspergerent, id unice aucupantes, ut illa igni aliive pœnæ publicæ subjecta aliorum oculos attentionemque in se traherent, quæ sæpe satius fuisset, generoso punire contemtu, &, quum alias nemo facile ea legisset, blattis tineisque lancinanda relinquere. Proin Clar. Lilienthalius (z) præstare censet, in confiscatione, prohibitione & combustione librorum non adeo præcipitem esse Magistratum, nisi illi aperte religionem, statum civilem & bonos mores subruant; nec abs re idem Vir doctissimus judicat, si tenebrioribus ejusmodi obnitaris, eos veluti torrentem injectis obicibus altius intumescere solere, cum neglecti citius conquiescant, vel ipsis delassatis & defessis eorum lectoribus. Peroportune hic recordor eorum, quæ de Hadriano VI. P. M. his verbis commemorat Paulus Jovius (a). *Gravissime tulerat se famosis carminibus apud Pasquilli statuam fuisse laceratum, sed id postea civili animo tulit, cum didicisset, eam maledicendi li-*

(z) De Machiavellismo liter. p. 130.
(a) In vita Hadriani VI. p. 277. sq.

di licentiam obſcurorum hominum libertati atque nequitiæ dari, ut cum inſignes viros impune carpſerint, fortunam ſuam ea vindictæ voluptate conſolentur. Decreverat Hadrianus uti Poëtis non obſcure ſubiratus, Paſquilli ſtatuam, quæ erat in Parione, demoliri, atque eam in Tyberim præcipitare: ſed Ludovicus Sueſſanus (Hiſpaniarum Regis ad eum legatus) *urbano ſalſoque ingenio id fieri debere pernegavit, ſubdens Paſquillum vel in imo vado ranarum more non eſſe taciturum; ad id vero Pontifex, exuratur ergo, inquit, in calcem, ne ejus veſtigii ulla omnino memoria ſuperſit: tum rurſus Sueſſanus, recte inquit, ſed tam crudeliter concremato poëtæ clientes non deerunt, qui patroni cineres invidioſis carminibus proſequantur, & ſupplicii locum quotannis ſtatuto ſolenni die celebrent. Quibus verborum luſibus Pontifex ab iracundia ad jocos hilaritatemque ſenſus omnes leniſſime revocavit.* Scilicet nonnihil interdum prudenti diſſimulatione tolerare convenit, ne repugnando irritentur crabrones.

§. XXI.

Haud tamen diffiteor, in nonnullis libris extirpandis feliciſſimo ſucceſſu magiſtra-

ſtratum ſuam poſuiſſe operam, eosque ita aboleviſſe, ut vel plane nulla, vel pauciſſima & ipſa raritate rariora hodie extent illorum exempla. Ecquis, ſodes, vidit Michaelis Serveti Villanovani Reſtitutionem Chriſtianismi, cujus equidem quædam apographa manu exarata ſuperſunt, typis vero exſcriptum vel unicum exemplar, cum tamen mille fuerint impreſſa, (*b*) ubinam locorum adſervetur, nemo hactenus, quod ſciam, indagare potuit? (*bb*) Idem fere dicendum de Godofredi Vallee, Pariſiis An. 1574. combuſti, impio & unica duntaxat phylira conſtante libello (*c*), qui abſonum hunc gerit titulum: LA BEATITUDE DES CHRESTIENS, *ou le Fleo de la Foy par Geoffroy Vallée, natif d' Orleans, fils de feu Geoffroy Vallée & de Girarde le Berruyer, ausquels noms des père & Mère aſſemblez il s'y trouve* LERRE GERU VREY FLEO D. *la Foy bygarrée. Et au nom du fils*

(*b*) Vid. Mich. de la Roche Bibliotheque Angloiſe Tom. II. Part. I. p. 98.

(*bb*) Conf. hujus opellæ Tom. II. p. 351. ſqq.

(*c*) Vid. de Deo de Sallengre Memoires de Litterature Tom. I. Part. II. p. 222. ſqq. Bail. Diction. Tom. IV. f. 2795. & P. F. Arpi Ferias Æſtivales p. 124. ſq.

fils VA FLEO REGLE FOY. *Autrement* GUERE LA FOLE FOY. *Heureux qui ſait au ſçavoir repot.* Hujus unicum modo exemplum typis excuſum, idque in inſtructiſſima Abbatis d'Eſtrées Bibliotheca, ſupereſſe exiſtimat Bernardus de la Monnoye. Primam Alcorani editionem Arabicam, quam circa annum MDXXX. Venetiis Paganinus Brixienſis dedit, contumelioſi ignes juſſu Pontificis ita abſorpſerunt, ut omnem fere ejus ſimul hauſerint memoriam, Virosque etiam doctiſſimos & in literatura Orientali principes illius notitia prorſus fugerit. Fuſe & erudite de ea diſſerit Cel. D. J. M. Langius in peculiari diſſertatione, Altorfii Anno MDCCIII. habita (*d*), in qua p. 20. ſqq. de moralitate theologica illius facti Pontificii, cujus fervore omnia dictæ editionis exemplaria perierunt, curate agit, idque ſummo jure improbandum eſſe ſtrenue evincit. In ipſo autem Romano cœtu ſaniores noſtra ætate Alcoranum non amplius Vulcano adjudicare, vel inde patet quod in ipſa Italia, Patavii ſcilicet Anno

(*d*) Conf. Biblioth. Bremenſ. Claſſ. VI. p. 271. ſqq.

1698. eum Ludovicus Maraccius, Innocentio XI. P. M. dum viveret a confessionibus sacris, cum versione Latina notisque ac refutatione publicæ luci restituerit. Interest profecto, ut extent illiusmodi libri, si non alia de causa, saltem propterea, ut ἰων ἀλλοφυλων dogmata inde perspici, atque solidis argumentis refelli queant. Operæ igitur pretium fecisse præter alios omnino censendus est ὁ παυυ Wagenseilius, qui Tela ignea Satanæ, sive arcanos & horribiles Judæorum adversus Christum Deum & Christianam Religionem libros ἀνεκδοτους ex Europæ Africæque latebris erutos in lucem protrusit, Latina interpretatione & confutatione adjecta, ac præfatione eruditissima certe & prolixa, qua instituti sui rationes ita exposuit, ut justas omnium laudes promeruerit. Non tamen acrem censuram Romanæ Sedis, quæ opus istud Anno 1686. d. 2. Julii inter libros prohibitos & damnatos retulit (*e*), effugere potuit. Quæ severitas

(*e*) Vid. Indic. Libror. Prohib. Clementis XI. edit. Rom. 1711. pag. 480. ubi vero Editor, Vir profecto minime incelebris, WANGENSELLIUS audit, pag. autem 252. WAGENTELIUS, & pag. 519. WAGENSELLIUS notabili ἀκριβειας in libro publica auctoritate edito exemplo.

tas num ſua ſe juſtitia tueri queat, judicium penes æquos rerum arbitros ſit: mihi quidem non videtur. Ut enim taceam, ab hujus farinæ ſcriptis nihil periculi metuendum eſſe, nec facile ullum Chriſtianorum iis ad defectionem incitatum iri: unde, quæſo, prava infidelium dogmata inſulſique errores luculentius, quam ex iis ipſis, cognoſci, unde felicius tela ad jugulandas eorum calumnias peti poſſunt? Soli forte Hiſpaniæ & Luſitaniæ aliquid inde metuendum eſſet, cum inibi non pauci reperiantur, qui Inquiſitionis metu Chriſtianos quidem ſimulant, ſed reapſe longe alii ſunt, & optimum noſtrum Servatorem, qui benedictus ſit in ſecula: in corde reſpuunt. Verum enimvero nusquam magis opus eſt, ut ejusmodi libri e latibulis ſuis protrahantur, quam in illis regionibus. Quum enim non ferro & flamma propagari velit ſanior Religio, ſed argumentorum robore, utpote virtute ſua & præſtantia ſe commendans: iis commodiſſima ad incredulorum converſionem via paratur. Hinc namque optime inſtrui poſſunt Doctores Chriſtiani, qua ratione adverſariorum tela, quæ prævisa minus nocere ſolent, excipienda & retundenda ſint,

faciliorque veritari aditus muniendus. Valet & hic, quod de librorum Arabicorum crematione, jussu Cardinalis Ximerii (*f*) facta, pronunciavit nunquam satis laudandus Wagenseilius (*g*): *Quam parum aut nihil hoc remedio ipse profecerit, non ignorant, qui notitiam habent rerum Hispanicarum superioris, aut præsentis quoque ævi. Certe, ne adhuc quidem, a Saracenis & Judæis purgatum est regnum, etsi nunquam ferro flammisque illos everrere destitit Inquisitio. Quanto satius fuisset, si Ximenius, quique eum in Zelo sequebantur, errores potius ex animis hominum eximere, quam libros tollere studuissent. Hoc opus, hic labor esse debebat, impugnare Muhammedis sycophantæ impura dogmata, detegere veteratorias illius artes, notare spurcissimos mores & æstuantem libidinem, indicare in sacris & Judæorum literis commissa plagia: ista enim sola ratio est, ad liberandum a male conciliata religione populum. Tantum autem abest, ut Inquisitores Hispani libris ejusmodi iis, qui erroribus dementati jacent, subveniant, & veritatem Christianæ religionis commonstrent, ut potius, si qua*

(*f*) Vid. hujus opellæ Tom. p. 357.
(*g*) In præfat. Telis igneis præmissa p. 49.

ſi quæ tales Eccleſiæ generique humano ſalutares lucubrationes ab aliis editæ habentur, eas tanquam abominabiles damnent, & illarum lectione homines ſeveriſſime prohibeant. Hæc Vir Maximus. Sed ulterius proceſſit Daniel Morhofius, qui de ſacerrimo de tribus Impoſtoribus libro (ſi modo is unquam extitit) differens, in hocce votum erumpere non dubitavit (*b*): *Utinam ejus farinæ libri extarent, & legi ab omnibus poſſent! Certus ſum, ex ipſis tela, quibus eorum calumnia juguletur, nos deprompturos.*

§. XXII.

Eorum vero libros theologicos & polemicos, quod attinet, qui Chriſto nomen dant, at in diverſa abeunt, de his ſupplicia ſumi, fas minime omnium eſſe arbitror. Rationibus enim, non gladio decidendæ ſunt controverſiæ; argumentis, non cauteriis & novacula res hæc omnis tranſigenda. Quis namque incendiorum aliarumque pœnarum finis eſſet, ſi cuilibet parti diſſentienti in adverſariorum ſcripta igne vel aliis ſuppliciis graſſari æquum foret? Idem ſane jus, quod ſibi in noſtros libros Romanenſes

(*b*) in Polyhiſt. litter. Lib. I. Cap. VIII. p. 71.

sumunt, & nobis in sua opera concedere tenentur : non enim ex alia ratione, credo, nostratium lucubrationes atro carbone notant, damnant, supprimunt, in favillas vertunt, quam quod eas noxiis perversisque dogmatibus scatere & veritati inimicas esse censeant : nos autem divinæ scripturæ suffragio muniti vicissim de eorum scriptis theologicis eandem fovemus mentem, neque tamen nostros ab eorum lectione arcemu Singulis patent, nec erubescit veritas ominus cum iis congredi. Non opus est eorum prohibitione, quæ fortissimis argumentis satis superque refelli possunt. Dignissima videntur, quæ heic recitemus Marci Antonii de Dominis verba e præfatione Operis de Rep. Ecclesiastica, licet prolixiora : *Hoc ab ipso Sanctissimo Romano Pontifice humillimis precibus contendo, ut hanc operis mei editionem eo, quo dixi, fine publicatam non gravate ferat, neque solum non impediat, quo minus ad sedulum, quod cupio, virorum doctorum examen perveniat, sed etiam ut accuratam omnium prudentium lectorum censuram subeat, ipse inprimis, quantum in sua sanctitate est, satagat, atque urgeat; quodsi impedierit, totumque opus de more igni addixerit, aut ex Ecclesiis sibi subditis exterminari cura-*

curaverit, non poteſt Orbis univerſus Chriſtianus non advertere & agnoſcere, ipſum non ratione, ſed vi ſuas tueri velle uſurpationes, Eccleſiamque falſitatibus oppreſſam detinere, adeoque cauſæ ſuæ diffiſum, cum clypeum nullum habeat, loricam nullam, nullum adverſus tela intorta honeſtum munimentum, ignava declinatione, imo fuga uti turpiſſima, ac ſedulo cavere, non quidem, ne vincatur, ſed ne victus ſuis appareat aſſeclis, a quorum conſpectu propterea & tela noſtra & vulnera noſtra abſcondit. Si debilis, ſi inanis noſter impetus ſit, ſi ipſe fidei clypeum geſtet, quid timeat? cur refugiat? cur ſe e prælio ſubducat? cur, quibus impetitur, tela abſcondat? Abſcondo, inquiet, ne inermibus noceant, ne tyronibus oculos cutemque perſtringant: librum peſtiferum prohibeo, longeque arceo, ne rudioribus, ſimplicioribus, parumque eruditis laqueum ſtruat, & ſophismatum plauſibilium fuco fraudem faciat. Eſto, librum hunc igitur aliosque ſimiles, Pater beatiſſime, prohibe plebi imperitæ, ac, ſi placet, etiam literatura tenui imbutis, imo Theologiæ Candidatis ſemidoctis. Non repugno: Excipe tamen obſecro, expreſſe excipe ab hisce generalibus prohibitionibus veteranos Eccleſiæ pugiles, Epiſcopos omnes ſingula Doctorum theologicorum collegia, univerſosque

sosque in sacra Theologia Magistros & Licentiatos. His, quæso, omnibus non modo liberam hujusmodi controversalium scriptorum lectionem permitte, sed & strenuum eorundem examen suade, & pro ea, qua polles, potestate præcipe. Interim vero ab operis nostri nondum perlecti absoluta Damnatione abstinere, censuramque suspendere certe est æquissimum. Si statim comprimas librum, aut mihi plurimum & injuste noces, aut, sanctissime Pater, ipse tibi. Mihi, cujus errores, si qui sint, libro obmutescente non detegentur; adeoque vestra, Beatissime Pontifex, culpa in errore perseverabo, a quo me, ut proximus meus Prælatus, teneris revocare. Sin vera loquar, & nihilominus jussu tuo vox mea comprimatur (liceat dicere, quod vobis licet facere) *tibi certe obes maxime; qui nempe, ne veritatem videas, claudis oculos, eandemque ne ad te accedat, longe propellis: ut ipse cœcus in cœcitate pereas, & cum cœcis tuis, quibus eandem veritatem abscondis, in foveam cadas æternæ damnationis. Hic noster veritatis, à Christo edoctus, Christum imitaturus, præco, plurima certe peragrabit loca, ac forte aliquando vel invitatus, vel invitus, vel adductus, introibit in atrium Pontificis, a quo utinam interrogetur de doctrina ejus: Tun' certe aperte respon-*

ſponderes ei; Ego palam locutus ſum modo, & in occulto locutus ſum nihil. Quod ſi Pontificis juſſu, vel in ejus gratiam, unus aſſiſtens miniſtrorum dederit ei alapam, dicens, ſic reſpondes Pontifici? Tun' de Pontifice, tun' ad Pontificem audes ſcribere? Tun' ſupremum, immenſumque Pontificis primatum diſcutere? Abi, apage, in æternum ſile, ac cum iſthac alapa detrudere in tenebras ſuppreſſionis exteriores. Ipſe tamen ita duriter acceptus, tribunali pontificio ſe adhuc repræſentare non detrectabit, ſed vocem illam ab ipſo manſuetudinis magiſtro præſcriptam intrepide ſubjunget: Si male locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo: ſi autem bene, quid me cædis? Haud tamen rationibus his oppido prægnantibus ignem Vir longe doctiſſimus deprecari potuit, ſiquidem cum omnibus ſcriptis ſuis, exquiſitam eruditionem ſpirantibus, ipſe in carcere demortuus Romæ (*i*) in feralem rogum injectus fuit, felix in hoc, quod exanimem demum hæcce tetigerint fata, multum tamen infelicior aliis, quorum libros equidem funeſta flamma devoravit, ſed ſal-

(*i*) Integram ejus proceſſus hiſtoriam, omnibus ſuis circumſtantiis veſtitam refert Limborchius in Hiſt. Inquiſ. L. IV. C. 38. f. 361. ſqq.

vis & illæsis auctoribus, de ipsa etiam sui ingenii fœtuum exustione jocantibus. Non inficeta sunt, quæ de Isaaco Peyrerio, Præadamitarum parente, narrat Æg. Menagius (*k*) *Lorsque le Livre des Præadamites parut, il fut condamné à être brulé par la main du bourreau. Je priai l'auteur, qui étoit de mes amis de me l'envoyer avant qu'il fut mis en lumiére. Il comprit me raillerie & me l'envoya avec ce vers d'Ovide en changeant le mot d' urbem en celui d' ignem:*

Parve, nec invideo, sine me liber
ibis in ignem.

§. XXIII.

Cæterum si cujus forte libri innoxii præter omne jus & fas ad rogum aliaque supplicia condemnantur, solatio illi esse possunt maximorum virorum exempla, qui eandem fortunam subierunt, & illæsa conscientia.

Justum & tenacem propositi virum
Non civium ardor prava jubentium

(*k*) Menagian. Tom. III. p. 68.

Non vultus inſtantis tyranni,
Mente quatit ſolida (l).

Infeliciores merito cenſentur ii, qui injuriam faciunt, quam qui patiuntur, & ex veritate dictum eſt a Menandro:

Οὗτος ὑγιαίνοις ἐς' ἀνήρ, ὦ Γοργία,
Ὅστις ἀδικεῖσθαι πλεῖς' ἐπίσταται βροτῶν.

Exiſtimandus ille præſtantiſſimus,
Injurias qui ferre novit plurimas.

Pertinet huc quoque illud Oweni:

Qui recte vivit (ſcribit), *contemnit jura ſuperba:*
Conſcia mens recti nil timuiſſe poteſt.

Sed plura dicere omitto, nominaturus tantum adhuc bigam ſcriptorum huc facientium. Sunt illa Illuſtr. Chriſtiani Thomaſii *Rechtsgegründeter Bericht, wie ſich ein ehrliebender Scribent zu verhalten habe, wann eine auswärtige Herrſchafft ſeine ſonſt approbirte Schrifften durch den Hencker verbrennen zu laſſen von einigen paſſionirten verleitet wor-*

(l) Horat. L. III. Od. 3.

worden (*m*): *Franz Dietrich Freudenhofers Gründliche Erörterung der Frage: Ob es einem Scribenten, wenn seines Gegenparts Streit- und Schuz-Schrifft eine auswärtige Obrigkeit durch den Hencker verbrennen lassen, zu einer Ehre und Rechtfertigung seiner Sache, seinem Gegner aber zu einer Unehre und Zernichtung seiner Sache gereichen könne? Freystadt.* 1715.

(*m*) In ejus *kleinen Teutschen Schrifften* p. 415. Prodierat antea seorsim Friburgi, uti titulus habet, A. 1691. in 4. sub nomine adscititio Attilæ *Friedrich Frommholds.*

III.

EPISTOLA CRITICA

*** *C. R. P.*

AD

T. D. L. C.

DE

PUNCTIS CONTROVERSIÆ KEMPISIANÆ PRÆCIPUIS.

Illuſtriſſime, ac Excellentiſſime D. D. Patrone.

FAllit plerumque increſcens ſemper eundo fama; nunc quod rarum vera retulit, dum novas pro Gerſene in Italia, Gallia, & Germania Vindicias apparuiſſe ad tuas aures detulit. Petis, quænam illæ Gerſenianæ novæ Vindiciæ ſint? quod meum de his judicium? ad quam tandem ſummariam demonſtrationis formulam totum Kempiſianæ Cauſæ meritum

tum conſtringi poſſit? Tria exigis: triplici reſponſo votis tuis, ut ſemper decet, obſequor.

§. I.

Quænam prodierint novæ Gerſenianæ Vindiciæ.

Poſt editam anno 1725. *Informationem de Statu Controverſiæ* Kempiſianæ novæ interea Gerſenianæ Vindiciæ ad me perlatæ ſunt? tituli librorum, in quibus eæ vindiciæ continentur, ſunt ſequentes.

1. *Voyage Litteraire de deux Religieux Benedictins de la Congregation de S. Maur à Paris.* 1717. tome premiere. Secundus tomus primum prodiit 1724. authores hujus Itinerarii litterarii ſunt R. D. Edmundus Marthene, & R. D. Vrſinus Durand Monachi Benedictini Congregationis S. Mauri in Gallia, qui, dum anno 1718. perluſtrarent ultra centum Bibliothecas in Belgio & Weſtphalia, diligenter notarunt MSS. Codices, qui cauſæ Gerſenianæ qualecunque emolumentum conferre videbantur.

2. *Gio-*

2. *Giovanni Gersen Abate dell' Ordine di S. Benedetto Sostenuto Autore de Libri dell' Imitatione. in Firenze*, 1724. Author hujus opusculi dedicati Eminentissimo Cardinali de Comitibus est R. D. Virginius Valsechi Monachus Cassinensis. Scopus hujus authoris non tam est, ut vindicet suum Gersenem contra Thomam Kempensem, quam contra Gersonem, quem quidam Presbiter sæcularis Reipublicæ Lucensis nuper pro vero authore libri de Imitatione venditare velle visus est.

3. *Bibliotheque Historique & Critique des Autheurs de la Congregation de S. Maur. par D. Filippe le Cerf, Religieux Benedictin de la meme Congregation. à la Haye* 1726. Author hujus opusculi, dum fol. 93. agit de Scriptis Delfavii, & fol. 249. de Scriptis Mabillonii, adeo certam esse opinatur Gersenistarum sententiam, ut non dubitet sententiam Canonicorum Regularium vocare *Visionem*, & chimæram, fol. 256. sic concludit: *Il est donc sensible, que la pretention des Chanoines Regulieres est une vision, & une chimere.* * Conf. p. 416. seq. in vita Rob. Quatremaire.

4. *Historia Concertationis de Authore libelli de Imitatione Christi, Gallice concinnata*

à R.

à R. P. Vincentio Thullerio è Congregatione S. Mauri, latinè verò edita Augustæ 1726. Historia hæc Gallicè Parisiis prodiit anno 1724. inter *opera posthuma* Mabillonii, edita à P. Thullierio, nato anno 1685. professo anno 1703. qui scribitur occupari in versione gallica Polibii, Romani Scriptoris de secundo bello Punico.

§. II.

Quodnam sit meum de his Vindiciis Gerſenianis Judicium?

Dico; Probabilitatem argumentorum ex omnibus his vindiciis pro Gerſene contra Thomam K. conflatam ſecundum leges Criticas ad ſummum eſſe ut $\frac{5}{10}$, adeoque nullam. Id demonſtro ab excuſſione eorum ſingulorum argumentorum, quæ ex his vindiciis elici poſſunt.

Argumentum 1. contra Kempenſem formari poteſt ex eo, *quia nullus ante Aſcenſium Badium, proferri poteſt, qui librum D. J. Thomæ K. aſſerat*, ita *Thullierius* primis ſuæ Hiſtoriæ lineis. Reſpondeo, Aſcenſium

sium Badium suas Vindicias Kempenses edidisse anno 1520. ut patet inspicienti librum; ante hunc annum profero 70. testes, qui librum d. J. Kempensi asserant, & ipsa Historia Thulleriana in chronotaxi ad annum 1494. pro Thoma affert Pirkamerum, itaque hoc argumentum se habet ut $\frac{0}{10}$.

Argumentum 2. *S. Bonaventuræ diu ante Thomam K. in suis Collationibus citat libellum de Imitatione*; neque probari potest, has Collationes esse suppositias, ex eo, quod in iis citetur *Vbertinus; cum enim Vbertinus jam anno* 1257. *Franciscanis addictus fuerit, non repugnat, eum citari à S. Bonaventura mortuo* 1274. ita *Thullierius* n. 15.

Respondeo, Vbertinum primùm natum esse anno 1259. & professum anno 1273. ut impossibile sit, eum citari à S. Bonaventura mortuo 1274. testem habeo ipsum Vbertinum, qui in suo libro, *Arbor Crucifixi*, dicto ad finem sic habet: *Mense Septembri terminavi in Vigilia Michaelis Archangeli anni præsentis* 1305. *à mea verò vili conversione anno* 32. in Prologo verò dicit, *se professionem emisisse anno ætatis decimoquarto.* Qui plura de suppositione ha-

rum Collationum convincentia argumenta videre cupit, adeat Oudinum de Script, Eccles. Dupinum Nouv. Biblioth. tom. 12. Differt. §. 7. & meæ Informat. p. 3. arg. 6. Itaque & hoc argumentum se habet ut $\frac{0}{10}$.

Argumentum 3. *Concilium Eruditorum Parisiis anno* 1687. *judicavit, Codicem MS. Aronensem ab annis saltem trecentis adeoque ante Thomam K. natum anno* 1380. *exaratum esse.* Ita *Thullierius.* n. 84.

Respondeo, Concilium Eruditorum Parisiense nec unquam judicasse, nec potuisse judicare, Codicem Aronensem ante sæculum 15. exaratum esse. Quod illud Concilium hoc nunquam judicaverit, patet ex eo, quia Dupinus, qui Concilio interfuit, quique, ut vult Thullierius, eidem subscripsit, ipsemet librum de Imitatione adscribit Gersoni Cancellario mortuo 1429. nato 1363. adeoque Synchrono cum Kempensi: imo idem Dupinus l. cc. Expresse asserit, ne quidem probabile haberi fundamentum, quod author libri d. J. sit Abbas Benedictinus; *dico*, inquit, *qualitatem Abbatis S. Stephani Vercellensis Ordinis S. Benedicti, quæ tribuitur prætenso Joanni Gersen, non inniti ullo fundamento, aut ullo testimonio*

nio fide digno. Bibl. t. 12. Differt. §. 13. Quod idem Concilium non potuerit aliter judicare, patet ex ipsa inspectione Aronensis Codicis, cujus Scripturam Mabillonius *de Re Diplomatica* accurrate exhibet. Character planè non prodit aliud sæculum, nisi sæculum 15.; nec ipse Mabillonius aliter judicare ausus est, dum Judicium de ætate illius Codicis aliis permittit; consului hac in re viros in Manuscriptis versatissimos; planè judicant, ex characteribus illis Codicis aliud sæculum quâm 15. evinci non posse; ipsemet paratus sum, proferre mille Manuscriptos Codices, illi Aronensi Codici similes, omnes sæculo 15. exaratos, & quid multis opus litibus? En! primùm anno præterito 1726. Idem Codex Aronensis novo Eruditorum Concilio Mediolani examinandus traditus est; examinarunt diu, & attentè viri in Manuscriptis versatissimi, tota Europa celebratissimi, inter quos etiam est Illustriss. Comes Antonius Simonetta, & Illustriss. Comes Silva; unanimi pronuntiarunt consensu; Codicem Aronensem ante sæculum 15. exaratum non esse; totius Tractationis authentica testimonia penes me habeo, quæ proferam, si necesse fuerit. Ut quid ergo

Concilium Pariſienſe anno 1687. judicet, Codicem Aronenſem *à trecentis annis exaratum* eſſe? modo loquendi uſitatiſſimo in ſenſu incluſivo utitur; ſic dicimus, aliquid factum *ante octiduum*, *ante tres annos* quod octavo abhinc die, vel tertio abhinc anno factum eſt. Sic etiam D. Cryſoſtomus defunctus anno 407. in duabus homiliis indubiis dicit, Vrbem Jeroſolymam *ante quingentos annos* everſam eſſe à Romanis. Sic etiam D. Hieronymus Epiſt. 29. anno 406. citat Irenæum his verbis: *Hoc ille ſcripſit ante annos circiter trecentos*, cum tamen conſtet, Irenæum ſcripſiſſe anno 176. Itaque incertum eſt, an concilium Pariſienſe majorem Codici Aronenſi ætatem adſcripſerit, quam ætas Thomæ K. ferre poſſit, & ſi adſcripſit majorem, huic opponitur Concilium Mediolanenſe, ſi non majoris authoritatis, certè paris. Sit ergo in caſu oppoſitæ ſententiæ æqua utrinque pro quolibet Concilio probabilitas ut $\frac{5}{10}$. Si inſuper accedat incertitudo, an Concilium Pariſienſe contrarium ſit, decreſcet pro Gerſene probabilitas uno alterove gradu, ſicque hujus argumenti pro Gerſene probabilitas erit ad ſummum, ut $\frac{3}{10}$ vel $\frac{2}{10}$, adeoque nulla.

Argu-

Argumentum 4. Codices MSS. pro Gersene coram Concilio Eruditorum Parisiensi anno 1671. producti judicati fuerunt incorrupti. Ita Thullierius. n. 66. & LE Cerfius l. cc.

Respondeo, hoc argumentum, ut bene concludat, debere reduci ad hunc Syllogismum. Ille est author libri de Imitatione, quem Codices MSS. incorrupti pro authore determinant, sed Gersenem abbatem Benedictinum, distinctum à Gersone Cancellario, aliquot incorrupti Codices pro authore determinant, Ergo est author. In hoc Syllogismo Major & Minor præcisé est probabilis, itaque conclusio ex Legibus Criticis non manet probabilis. Majorem tantum esse probabilem præcisè, patet ex eo, quia producuntur Codices longe plures incorrupti pro Thoma K. & Gersone Cancellario; & tamen ex mente Gersenistarum non sequitur, Thomam K. aut Gersonem esse libri authorem, quia supponitur, librarium in designando authore potuisse errare. Minorem etiam præcisè esse probabilem, evincitur ex eo, quia constat, sæculo 15. sub nomine Gersenis communiter intellectum fuisse Gersonem Cancellarium. Ipsemet Mabillonius in suis

animadverſionibus, fatetur, in Codice MS. Padolironenſi extare Epitaphium Gerſonis Cancellarii, ubi loco *Gerſonis Gerſen* ſcriptum ſit, hoc modo *Joannes Gerſen Conſolarius*, id eſt, *Doctor Conſolatorius*, prout in omnibus antiquis editionibus Gerſon vocatur. R. D. Angelus Valſechus in ſuo *Gerſene vindicato* Cap. 1. fol. 31. & 51. ipſe etiam fatetur, in ſuo Monaſterio della Badia reperiri Codicem MS. membranaceum in 4. ſcriptum anno 1466. cum hac Inſcriptione. *Incipit libellus devotus & utilis compoſitus à D. Joanne Gerſen Cancellario Pariſienſi, de Imitatione Chriſti.* Itaque ſi Major Syllogismi foret $\frac{6}{10}$, & Minor $\frac{6}{10}$. concluſio per L. C. tantum erit, ut $\frac{2}{10}$, id eſt, non probabilis. Addo, Judicium illud Pariſienſe notatum fuiſſe à R. P. Claudio du Molinet, viro ob ſingularem antiquitatum ſcientiam per Europam celebri; in Epiſtola, quam edidit Richardus Simon in ſua Bibliotheca Critica tom. 1. Cap. 2. Scripta anno 1687. 27. Junii expreſſis verbis aſſerit, ſe deprehendiſſe, Codicem Genuenſem, & Padolironenſem, quem dicitur approbaſſe illud Pariſienſe Concilium, corruptum eſſe. *Les Manuſcrits*, inquit, *qui viennent d'Italie, ſont ſi ſuſpects, qu'on ſe*

doit

doit touiours deſier ; pour moi, j'ai vû deux de ceux là à S. Germain des Prez, que j'ai trouvé falſifier, & ſuis prêt de le ſoutenir. Je n'en attribue pas la faute aux P. P. de la Congregation de S. Maur, mais aux Italiens, qui leur avoient envoié ces beaux originaux fabriquez en leur pays ; l'un eſt le Codex Genuenſis, & l'autre le Codex Mantuanus, ſeu de Padolirone. Hucusque Claudius du Molinet poſt illud Pariſienſe Eruditorum Concilium, quod intra duas horas tot Codices MSS. vidit, luſtravit, examinavit, probavit, & ſolenne Inſtrumentum à Mabillonio, ut ipſe Thullierius fatetur, confectum ſua ſubſcriptione ſubſignavit.

Dices : potius errare Molinetum, quam integrum Eruditorum Concilium. Reſpondeo, potius ſupponendam in illo eruditorum Concilio nimiam feſtinationem, & inadvertentiam, quam in Claudio Molineto, quem ob morum probitatem ac eruditionem Gallia & Europa colit, mendacium ac peccatum. Vide, quam neceſſe ſit, aut mentiri Molinetum, aut merito Codices ſuſpectos eſſe. In præfata Epiſtola ſic pergit : *Primus Codex Genuenſis mihi monſtratus eſt à P. Quatremario in Bibliotheca S. Germani ubi ſimul mecum erat D.*

Seguin Decanus ad S. Germanum de l'Auxerois cum alio viro erudito. Agnovimus manifeſte, titulum ubi erat nomen authoris, eraſum eſſe, & loco Thomas Joannes ſatis groſſe poſitum eſſe, ad quod Quatremarius non potuit reſpondere, niſi tam bene, ut poſtea hoc Manuſcriptum non amplius comparuerit. nec unquam amplius monſtratum ſit, licet ſæpius illud videndi licentia petita ſit, & licet ſæpius inſtantiſſime in præſentia primarii Præſidentis de la Moignon ſit flagitata. Alterum Mauuſcriptum Mantuanum ſeu Padolironenſe non eſt melius; examinavi illud in præſentia præfati docti Magiſtratûs, & obſervavimus, titulum, Incipit liber Joannis Geſſen primus, manifeſte duobus atramentis rubris, quorum unum altero lucidius erat, ſcriptum eſſe, & forte etiam diverſa manu. Epitaphium Joannis Gerſonis, quod in eodem Codice extiterat, & ipſum non comparet amplius, ita Molinetus. Ex quo hoc ſaltem efficitur, certum non eſſe, Codices illos incorruptos eſſe.

Verùm ne ſcandalizemus parvulos, qui ignorant æquivocationum etiam in juramentis vim, mittamus hanc exactam Molineti induſtriam; ſint Codices illi Itali ſine labe puri, ſine dolo incorrupti; ſit nemo

in

in orbe, qui sibi assumat effrontem causâ salutis publicæ negandi ac pernegandi ex Cattando Ecclesiaste licentiam, nobis sufficiat, suppositâ etiam incorruptione Codicum argumento ob probabilitatem præmissarum probabilitatis remanere nihil.

Si denuo dicas; Codicem Aronensem in titulo præfixum gerere *Joannis Abbatis* nomen, quod nequáquam Gersoni Cancellario congruat. Respondeo, minimè certum esse, hac inscriptione Joannem Gersen Abbatem Benedictinum Vercellensem S. Stephani de Canabaco dictum designari. Ratio est, quia constat, extitisse quidem Joannem quendam Gersen Abbatem Canonicum Regularem; extitisse verò aliquando Joannem Gersen Abbatem I. Benedictinum S. Stephani de Canabaco, non solum nullo proditur indicio, sed eum nunquam in rerum natura extitisse, vix non certum novissimè detectis documentis comprobatur. Extat in Monasterio Vercellensi S. Andreæ Chronica MS. Allicensis antiqua, ubi dicitur; *Joannem Gherſen fuisse Abbatem Ordinis Lateranensis in Monasterio Pagi, vulgo Allice, non procul à Cavaglia.* Ita anno præterito 1726. Vercellensis quispiam vir eruditus ad me perscripsit. Idem in suis

litteris, quas aſſervo, retulit, ſe hoc anno 1726. excuſſiſſe Archivium Civitatis Vercellenſis, ſeque ibidem reperiſſe litteras membranaceas anno 1206. die 16. Decembris ſcriptas, in quibus occaſione cujusdam contractûs inter Abbatem S. Stephani & Prætorem Vrbis initi ſubſcripta ſunt omnium fratrum & Abbatis in monaſterio S. Stephani degentium nomina. Abbas erat Robaldus; inter fratres verò nullus omnino Joannis nomen gerit. Fabula ergo eſt tota Joannis Gerſenis Abbatis Vercellenſis S. Stephani ad initium Sæculi 13. vita; nec in Codice Aronenſi deſignari Abbas poterit, qui nunquam in orbe extitit; & qui hunc Abbatem in Iconiſmis ſub titulo *Venerabilis Joannis Gerſen*, &c. colunt, contra leges Romanorum Pontificum turpi ſuperſtitione idolum colunt. Idem confirmatur ex Catalogo Abbatum Vercellenſium S. Stephani, quem Auguſtinus ab Eccleſia Epiſcopus Salutienſis edidit; ex hoc enim conſtat, omnes Abbates S. Stephani ab anno 1340. uſque ad annum 1627. fuiſſe Commendatarios; & tales jam fuiſſe ad initium ſæculi 13. exinde Colligitur, quia idem Catalogus ad annum 1214. ponit *Abbatem Robaldum Canonicum S. Euſebii.* Plura de hoc Argumento

to videri possunt in mea Informatione. p. 3. ubi etiam causam prodidi, cur ipsi Gersoni ex errore titulus Abbatis adscribi potuerit, eo quod ejus frater Joannes Gersen fuerit Lugduni Prior Cœlestinorum, quod idem est ac Abbas in Italia. Id solum adhuc addo, Canabacum frustra omnino quæri Cavagliæ; Parochus Cavagliacensis anno præterito 1726. excussit omnia prorsus documenta antiqua ad sæculum 13. 14. 15. 16. 17. pertinentia; nullibi *Cavaglia* loco *Canabacum* scriptum reperit. testes hujus industriæ penes me asservo litteras. Mihi etiamnum verosimile videtur, *per Joannem de Canabaco* designari possessorem libri aliquem Joannem de Rorbach, cùm ex una parte constet tales terminationes germanis esse familiares, v. g. Abbatia Marbacensis, Aspacensis; & nuper vidi effigiem Arnoldi cujusdam *Kirchensiken baco-Norici* Professoris Norimbergensis denati 1685. ex altera verò parte ex litteris R. P. Qua ille Româ 1642. scriptis certum sit, Codicem illum Allatianum ex Germania delatum esse in Italiam. Ex tertia verò parte omnibus antiquitatum studiosis notum sit, antiquitus possessores librorum primo folio sua nonnunquam præfixisse nomina, sic in

Biblio-

Bibliotheca Cathedrali Auguſtana vidi Bibliam MS. membranaceam, in cujus primo folio *Emico Epiſcopus* ſuum nomen inſcripſit.

Argumentum 5. In littera initiali Cavenſis Codicis MS. cernitur depictus monachus niger cum Cruce; conſtat autem, antiquitus fuiſſe conſuetudinem per ſimiles imagines denotandi authorem libri. Ita Valſechus in Præfat. fol. 16. usque ad fol. 38. ubi affert multa exempla talium imaginum authorem libri denotantium. Reſpondeo, ſæpe quidem per tales imagines alluſum fuiſſe ad authorem, ſæpius tamen, ac communiter imagines pro librarii phantaſia arbitrarias præfixas eſſe. Sic ipſe R. D. Edmundus Marthene tom. 2. voyage litter. refert, ſe in Abbatia Waſtenſi Araſii reperiſſe expoſitiones MS. S. Auguſtini in Pſalmos; in libri tamen initio depictum eſſe Radulphum Monachum, qui Codicem illum deſcripſit. In noſtra Bibliotheca habemus Codicem membranaceum, continentem vitas ſanctorum; ubi ad vitam S. Vdalrici perventum eſt, in Initiali littera delineatus eſt Canonicus cum Rocchetto, libri impreſſi ſæculo 15. qui haud dubie ſuccedunt moribus MSS. Codicum, ſæpe ab initio exhibent Ludimagiſtrum, Concionatorem, aut

aut Doctorem in cathedra, aut aliquem sanctum, aut aliquam allusionem ad libri materiam, quin de repræsentando authore libri cogitarint. Itaque cum centum dentur exempla imaginum authorem non referentium contra decem exempla imaginum initialiter authorem repræsentantium, probabilitas argumenti Valsechiani erit ut $\frac{10}{100}$, $= \frac{1}{10}$, seu nulla.

Argumentum 6. Liber de Imitatione citat S. Franciscum tanquam adhuc existentem in vivis, his verbis: *ait humilis S. Franciscus;* verbum enim in præsenti adhiberi non potest, nisi author, qui citatur, adhuc vivat, aut saltem aliquid scripto reliquerit, in quo semper loqui dici possit. Ita Valsechus Cap. 11. fol. 132. & 133. Respondeo mirâ patientiâ; hoc argumentum nugas esse. Millies citamus verba Christi dicendo in præsenti, *Christus, inquit*, etiamsi Christus nihil scripserit. Sic & S. Lucas de S. Stephano sic habet: *Qui ait, viri frates.* c. 7. act. & eodem c. *Et ait, Ecce video cœlos apertos,* nihil scripsit S. Stephanus, & tamen post mortem tanquam vivens loquitur; *ait.* sic & Math. 8. habetur: *Centurio ait. unus scriba ait illi.* & Joannis c. 14. *Dicit ei Thomas, dicit ei Philippus, dicit ei Judas* &

c. 18.

c. 18. *dicit Petro ancilla; dicit ille, non ſum, dicit ei Pilatus*, &c. Sit igitur hoc argumentum, ut $\frac{0}{1\overline{000}}$ vel $\frac{1}{1\overline{0}}$, quia inter mille exempla ne quidem unum exemplum proferri poterit, in quo aliquis ſcriptor per eum citandi modum vim præſentis temporis in verbo collocare voluerit.

Hæc ſunt præcipua argumenta, quæ in novis Gerſenianis Vindiciis Marthenii, Valſechi, Thullierii, Cerfii urgeri vidi. Addamus jam juxta Leges Criticas probabilitates argumentorum horum omnium. fiet ex

Argum.	1.	$\frac{0}{1\overline{0}}$
	2.	$\frac{0}{1\overline{0}}$
	3.	$\frac{2}{1\overline{0}}$
	4.	$\frac{2}{1\overline{0}}$
	5.	$\frac{1}{1\overline{0}}$
	6.	$\frac{0}{1\overline{0}}$
Summa.		$\frac{5}{1\overline{0}}$

A. E. D.

§. III.

§. III.

Ad quam Summariam Demonstrationis formulam totius Causæ Kempisianæ meritum constringi possit?

Thomam Kempensem esse authorem libri de Imitatione, duobus argumentis demonstrari potest. 1. Quia Codices MSS. & authores Thomæ Kempensi coævi plus quam sexaginta eidem librum d. J. adscribunt. 2. Quia collectio propemodnm infinita proprietatum & accidentium in authore libri d. J. & Thoma Kest eadem, qualis nuspiam in duobus diversis authoribus ostendi potest. utrumque ostendo.

I.

Codices MSS. & authores Thomæ K. coævi plus quam sexaginta eidem adscribunt librum d. J.

Natus est Thomas K. 1379. scripsit librum d. J. circa annum 1420. mortuus est

eſt 1471. exacto ætatis anno 92. Codices proin & authores coævi haberi debent, qui vixerunt ab anno 1420. uſque ad annum 1520. ſit ergo

I. *Codex MS. Kirchemianus*, de quo David Ehingerus, vir eruditus, litteris ad Heſerum datis, fide publica interpoſita, ſanctè aſſeverat, 1. hunc Codicem adſcriptum habere annum 1425. 2. eundem ex ipſo authographo Thomæo tranſumptum eſſe. 3. eundem præ ſe ferre nomen authoris, *Thomæ de Kempis Canonici Regularis in Trajecto.* Ita Heſerus in Hecatomp.

II. *Codex MS. ad S. Crucem Auguſtæ*, ſcriptus anno 1440. in quo ad finem additur eodem charactere; *Compilator hujus opuſculi fuit quidam Fr. Thomas nomine de conventu & Ordine Canonicorum Regularium Ordinis S. Auguſtini Montis S. Agnetis Trajectenſis.* Ipſemet hunc Codicem inſpexi, & ſic ſe habere deprehendi. vide Inform. fol. 236.

III. *Codex MS. Rottenbuechenſis*, ſcriptus circa annum 1440. ad calcem continebantur hæc verba, eodem charactere ſcripta: *Viri egregii Thomæ Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici libri de Imitatione Chriſti numero quatuor*, ipſemet hunc Codicem inſpexi, ſicque habuiſſe deprehendi. vide Inform. fol. 40.

IV.

IV. *Codex MS. Pollinganus* ſcriptus circa annum 1442. hanc ad finem habet ſubſcriptionem: *Explicit libellus de Imitatione Chriſti editus, ut dicitur, à quodam Canonico Regulari in Monaſterio Pödicken Pardeborgenſis diœceſis Provinciæ Colonienſis.* Rem ſic ſe habere, teſtatur Inſtrumentum à Notario publico erectum, quod poſſum proferre, & Codicem ipſum penes me aſſervo. De hoc Monaſterio Pödicken P. Edmundus Marthene tom. 1. Voyages. fol. 246. ſic ſcribit: *Monaſterium Bodecken tribus milliaribus ab urbe Paderborn diſſitum, in terribili ſolitudine ſitum Canonicis Regularibus Congregationis Windesheimenſis traditum, tanta diſciplinæ regularis fama inclaruit, ut paulo poſt viginti ſeptem aliis ejusdem Inſtituti monaſteriis mater effecta ſit; vidi ibi etiamnum aſſervatas vitas primorum ſeptem Priorum ſeu Præpoſitorum, quæ tam ædificatoriæ ſunt, ut ſatis mirari non poſſim, cur in tenebris tam ſplendida lumina relinquantur; ſine dubio multos procrearent fructus: ſi ederentur. Prior, qui nunc (anno 1718.) præeſt, mereretur jure optimo inter ſeptem illos Priores locum; namque ab omnibus pro ſancto habetur; videbatur nobis homo optimus, & ædificabamur ex illo plurimum,*

ita Marthene. Hæc propterea retuli, ut nemini mirum videatur, quomodo Thomas K. Monaſterium *Bodechen*. devenerit.

V. *Codex MS.* in Bibliotheca Monaſterii S. Barbaræ Cartuſienſium Coloniæ, continens diverſos tractatus, quorum Index ab initio libri ſic habet: 1. *Speculum Henrici de Haſſia*; 2. *Liber de diſcretione Spirituum ejusdem.* 3. *Aliqua opuſcula cujusdam devoti Regularis* (quidam in margine appoſuit: *cujus nomen eſt Thompas Kempis Conventus prope Swollis) de Sacramento altaris; Soliloquium animæ; libellus, qui ſequitur me, ita Index.* Ad finem libri de Sacramento altaris adſcriptus eſt annus 1447. vide Dupin. tom. 12. Bibl. Eccleſ. Diſſert. §. 3.

VI. Codex MS. in Monaſterio S. Catharinæ Auguſtæ, ſcriptus linguâ germanicâ circa annum 1450. Interpres in præfatione ſic habet: *Incipiunt vita beatorum Religioſorum ex Ordine S. Auguſtini Canonicorum Regularium, qui noſtris temporibus vixerunt in Belgio in Diœceſi Trajectenſi, inter quos etiam fuit devotus & beatus Thomas de Kempis, qui hunc libellum, atque alios complures nobiles tractatus compoſuit; ille*

ille etiam eſt, qui compoſuit devotum libellum de Imitatione Chriſti, vide Dioptram Heſeri, n. 18. Beſoldus, vir in Vniverſitate Ingolſtadienſi celebris in ſuo Spicil. Polit. Jurid. 3. de pacis Jure C. 1. teſtatur, ſe in Monaſterio Zwifaltenſi vidiſſe libros d. J. in linguam germanicam translatos, & ſcriptos anno 1448.

VII. Codex MS. Bruxellenſis apud Carthuſienſes, qui, teſte Chiffletio C. 7. Apolog. ſic finit: *Explicit devotus tractatus cujusdam Regularis de Interna locutione Chriſti ad animam fidelem, ſcriptus in anno* 1463. Vide Dupin. l. cc. Quod autem ſimpliciter ſub nomine Regularis intelligatur Canonicus Regularis in Belgio ſæculo 15. certum eſt mille exemplis. Sic ipſe Thomas K. in ſuis opuſculis, dum loquitur de ſuis Canonicis Regularibus, ad minimum vigeſies eos comprehendit ſub ſolo termino Regularis v. g. in vita Gerardi M. C. 15. dicit: *Ex congregationibus Gerardi M. monaſteria Regularium initium ſancta converſationis accepiſſe.* Item eodem C. 15. *Habuit in propoſito ædificandi monaſterium Clericorum Ordinis Canonicorum Regularium — ad hunc Ordinem Regularium inductus fuit propter reverentiam Joannis Ruſebroec*

Prioris in ordine Regularium. In vita Joannis Brinkerink ait : *Sepultus eſt in Monaſterio Ordinis Regularium in Dyepenſene.*

VIII. Codex MS. Bibliothecæ Cæſareæ, ſcriptus anno 1467. de hoc A. R. D. Raymundus Duellius C. R. S. Y. in literis ad me 1725. datis ſic ſcribit : *Vidi ego Codicem MS. in Bibliotheca Hohendorfiana, qua ſuam nuper Cæſar auxit, ſæculo 15. exaratum, in cujus fronte Thomas habitu Canonici Regularis, ejusdem ævi manu depictus, ſiſtitur ; ſequuntur verba : Incipit Liber I. F. Thomæ de Kempis Canonici Regularis Ordinis S. Auguſtini de Imitatione Chriſti, & contemptu omnium vanitatum mundi. In fine legitur : F. Thomæ de Kempis, de Imitatione Chriſti, deque contemptu mundi devotum & utile opuſculum finit feliciter. Codex eſt membranaceus in 4. in quo charta vaga ita habet. Le Manuſcrit a appartenu à Meſſire Baudoin de Lannoy Seigneur de Molambais fait Chevalier de la Toiſon d'or l'an. 1467.*

IX. Codex MS. domus S. Petri Dalheimenſis, anno 1681. coram Concilio Eruditorum Pariſienſium à Canonicis Regularibus productus, in quo reperitur liber d. J. ad finem ſic habet : *Explicit libellus de con-*

contemptu mundi, quem fecit Frater Thomas Kempis profeſſus in Monte Agnetis Ordinis Canonicorum Regularium. Obiit ætatis ſuæ anno 92. *in ordine devotus* 65. *requieſcat in perpetua pace, pro quo debitum ſolvi an.* 1471. *Coſmæ & Damiani, quo anno obiit.* Cum librarius adhuc recordetur die, quo Miſſam pro defuncto Thoma K. perſolvit ex fœdere, conſtat, eum codicem non multò poſt annum 1471. ſcriptum eſſe; certè librarius Thomæ K. ex fœdere junctus aut familiaris erat. In eodem Codice extat Tractatus *Hugonis de clauſtro animæ* ſcriptus anno 1475. Vide Dupin. l. cc.

X. *Catalogus Librorum MS.* 1472. ſervatus apud Canonicos Regulares ad D. Martinum Lovanii, in quo liber d. J. tribuitur Thomæ K. vid. Diopt. Hes. n. 6. & Dupin. l. cc. & Inform. fol. 238.

XI. *Catalogus alius, MS.* 1472. ſervatus apud Lovanienſes Can. Reg. ad S. Martinum, de quo ſolenne Inſtrumentum â me Inform. f. 238. citatum ſic habet. Item in eodem armariolo ſervatur alius Catalogus duplex in octavo, ſcilicet dumi B. V. apud Endoviam, & fontis B. M. Arnheim, ſcriptus anno 1472. in quo ſic legitur.

Thomæ de Kempis Canonici Regularis de Imitatione Chriſti. Dupin. l. cc. Heſer. Hecatomp.

XII. Codex impreſſus Domini Raymundi de Krafft, Conſulis Reipublicæ Imperialis Ulmenſis, antiquiſſimus, cujus initium ita habet: *Incipit libellus conſolatorius ad inſtructionem devotorum Cujus primum capitulum eſt de imitacione Chriſti, & contemptu damni vanitatum mundi. Et quidam totum libellum ſic appellant ſcilicet libellum de imitatione Chriſti, ſicut evangelium Mathei appellatur liber generacionis JESU CHRISTI Eo quod in primo capitulo fit mentio de generacione Chriſti ſecundum carnem Incipit primum capitulum Qui ſequitur me non ambulat in tenebris dicit dominus &c. &c.* In fine ſic legitur: *Viri egregii Thome montîs ſancte Agnetis in Trajecto regularis canonici libri de Chriſti imitatione numero quatuor finiunt feliciter, per Gintherum Zainer ex reutlingen progenitum literis impreſſi abenis.*

De Antiquitate autem hujus editionis Kempiſianæ hoc notandum, quod quum Gintherum Zainer ex Reutlingen progenitum pro typographo habeat, qui artem typographicam anno 1471. 1472. & 1473. Augu-

Augustæ Vindelicorum exercuit (id quod ex aliis operibus, quæ ab eo excusa, rariusque nunc obvia sunt, & in eadem Bibliotheca Krafftiana adservantur, demonstrari potest.) Et quum Michael Maittaire in Annal. Typograph. T. I. p. 94. 100. & 101. aliorum etiam operum ab eodem Ginthero Zainer typis exscriptorum mentionem faciat, post annum autem 1473. laudatus Vir, etsi omnes tot instructissimarum Bibliothecarum in Anglia præsertim & Gallia angulos ad Annales suos curate & industrie condendos perreptaverit, nihil amplius ab eo impressum indagare potuerit, consequenter dictus Gintherus Zainer tunc temporis in vivis esse desierit; perquam inde fit verosimile, memoratam editionem libri de Imitatione Christi omnium primam esse, præ cæteris Kempisianis: quippe publicæ luci probabiliter circa annum 1471., si non antea expositam: siquidem rei literariæ gnaros non fugit eadem opera, quæ anni & loci indicio destituta sunt, cæterisque antiquitatis Characteribus, uti editio Krafftiana, gaudent, ætate semper vincere illa, quibus anni locique nota adscripta vel typis excusa est.

XIII. *Codex Impreſſus Auguſtæ* 1472. qui in fine ſic habet: *Viri egregii Thomæ, Montis S. Agnetis in Trajecto Regularis Canonici libri de Imitatione Chriſti numero quatuor finiunt feliciter.* Exemplaria hujus editionis vidi in Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ, in Bibliotheca Vndenſi, & in Bibliotheca Franciſcanorum Monachii, ubi etiam adſcriptum vidi annum impreſſionis 1472. charactere ſæculi 15. hoc modo: I8Λ2. vide Inform. fol. 234.

XIV. *Codex MS. Bibliothecæ Reipublicæ Auguſtanæ*, ſcriptus circa annum 1475. qui & ipſe quondam continebat librum d. J. ſub titulo Thomæ K. hoc modo: *Prima pars tractatus de Imitatione Chriſti Domini Thomæ Montis S. Agnetis Canonici Regularis.* Nunc verò liber ille à furtiva manu exſectus eſt. Quando ante aliquot annos, nihil adhuc cogitans de Controverſia Kempiſiana, illam Bibliothecam perluſtravi, & hic ipſe Codex mihi perluſtrandus oblatus eſt. Vidi exſectos tres primos libros, relictum tamen eſſe adhuc quartum; cum tamen in eodem Codice contineantur varii alii tractatus, tandem mihi incidit, ut in primis foliis quærerem Indicem omnium Tractatuum in eodem Codice contentorum;

rum; & En! in hoc indice etiamnum eodem charactere, quo Codex scriptus est, vidi annotatum librum d. J. sub titulo Thomæ K. Itaque fur ille non fuit satis providus, debuisset etiam hoc folium exscindere. Vide Diopt. & Inform. fol. 234.

XV. *Chronicon MS. Buschii.* Fuit Joannes Buschius Canonicus Regularis in Monasterio Windesheim, quod tantum uno milliari distat à Monasterio S. Agnetis prope Swollis, in quo Thomas K. vixit. Scripsit Buschius Chronicon Windesheimense, quod, ut ipsemet in præfatione asserit, absolvit anno 1464. adeoque superstite adhuc Thoma K. in hoc Chronico Buschius sic scribit: *Contigit, ut duo fratres notabiles de monte S. Agnetis prope Swollis advenirent in Windesheim, quorum unus frater Thomas de Kempis, vir probatæ vitæ, qui plures devotos libros composuit, videlicet qui sequitur me, de Imitatione Christi, cum aliis.* Excipit Thullierius contra hoc Chronicon, quod ultima verba non reperiantur in authographo Buschii. Respondeo, authographum Buschii non amplius extare, ut fingit Thullierius n. 83. ubi dicit, hoc authographum Parisiis à Canonicis Regu-

laribus 1681. productum non continuisse hoc assutitium textûs. Legantur acta â Dupino l. cc. conscripta, & patebit falsitas. Forte Thullierius nimis festinanter legit illa acta; hoc scribit Dupinus, productum fuisse exemplar hujus Chronici, in quo non habentur ultima verba: *videlicet, qui sequitur me.* Utrum verò illud exemplar sit authographum, non determinat Dupinus. Interim idem Dupinus l. cc. testatur, eo anno 1681. à Canonicis Regularibus producta esse duo Exemplaria Manuscripta ejusdem Chronici, quorum utrumque ultima illa verba textu continuo sine ulla parenthesi continuit; unum horum erat Rebdorffense munitum testimonio authentico ProEpiscopi Augustani, scriptum anno 1477. Hinc quid interest, utrum Buschius adscripserit hæc verba; scripta tamen sunt an. 1477. non me fundo in testimonio Buschii, sed in Chronico Buschii, scripto certe anno 1477.

XVI. *Codex MS. S. Nicolaitanus* prope Passavium, continens descriptionem congregationis Windesheimensis authore Hermanno Canonico Regulari, scriptus anno 1473. ac ante biennium, dum lustrarem Bibliothecas inferioris Bavariæ, à me in Col-

Collegio C. R. ad S. Nicolaum retectus. In hoc Codice habetur ſequens fortiſſimum teſtimonium. *Item, frater iſte, qui compilavit librum de Imitatione, dicitur, ſive nominatur Thomas Supprior in dicto Monaſteriö Montis S. Agnetis prope Swollis diœceſis Trajectenſis Provinciæ Colonienſis; & diſtat dictum Monaſterium uno milliari à Windesheim, quod eſt Monaſterium ſuperius, in quo ſingulis annis Canonici Regulares de Provincia Colonienſi, Mogùntinenſi, Trevirenſi celebrant Capitulum Generale. vixit autem hic compilator adhuc anno* 1454. *& ego Frater Hermannus de Monaſterio Novi operis prope Hallas Magdeburgenſis Diœceſis eodem anno miſſus ad Capitulum Generale fui eidem locutus.*

XVII. *Matthias Farinator*, Ordinis Carmelitarum, SS. Theologiæ Lector Auguſtæ, librum d. J. Thomæ K. adſcripſit. vid. Inform. fol. 43.

XVIII. *Codex MS. Mayſeckenſis*, ſcriptus anno 1477. manu D. Cornelii offermans Rectoris quondam conventus Mayſeckenſis, qui affirmat compoſitum eſſe á F. Thoma de Kempis. Roſw. teſtimon. §. 1. n. 6.

XIX. D. Joannes Gelenius R. R. ac Seren. Principis Ferdinandi Archiepiſcopi Colonienſis Vicarius Generalis teſtatus

eſt,

eſt, ſe vidiſſe libros d. J. ſub nomine Thomæ K. impreſſos anno 1480. Proſp. Farr. teſt. §. 3.

XX. *Codex MS. Lovanienſis* ad S. Martinum, continens inter alia opuſcula Thomæ K. etiam libros d. J. horum ad finem leguntur hæc verba: *Expliciunt tractatus quatuor Thomæ de Kempis, devoti, & interni. Scripti & ligati per manus Fr. Simonis Jacobi de Leydis, Profeſſi in Leydendorp, pro tunc ſocii Rectoris hujus Monaſterii ſanctimonialium in Amſtelrodam, anno* 1482. Hic Codex productus eſt anno 1681. coram Concilio Eruditorum Pariſienſium; isque incorruptus repertus eſt, interfuerunt Archiepiſcopus Pariſienſis, Domini Faure, Baluzius, Vion d'Herouval, du Cange, R. P. Garnerius, & R. P. Harduinus Jeſuitæ, R. P. du Bois è Congregatione Oratorii, R. P. Alexander Natalis Dominicanus. Actum eſt 4. Martii 1681. Vide Dupin. l. cc. §. 2. & 3.

XXI. XXII. XXIII. XXIV. XXV. XXVI. Catalogus MS. variarum Bibliothecarum Belgii, aſſervatus Lovanii apud Canonicos Regulares ad S. Martinum, & ſcriptus circa annum 1487. Hic Catalogus, qui recenſet libros fere centum Bibliothecarum Belgii,

Belgii, teſtatur libros d. J. aſſervari ſub nomine Thomæ K. in ſex monaſteriis, nempe in Campo Ciſtercienſium prope Bercham, in Gaesdonck Regularium prope Goch, apud Martinienſes Lovanii, apud Regulares prope Noviomagum, prope Endoviam apud Regulares. Veritas firmata eſt Inſtrumento 1652. 15. Martii, & hic id. Catalogus productus eſt in Conventu Eruditorum Pariſienſium 1681. Author autem Catalogi fol. 302. habet hæc verba: *Frater Thomas de Kempis compilavit plures parvos tractatus teſtes ſuæ devotionis, & utiles pro religioſis, videlicet Exhortationes ad vitam ſpiritualem, aliâs de Imitatione Chriſti.* Vide Dupin. l. cc. & Heſer. Hecatomp.

XXVII. Argentoratenſis Codex impreſſus anno 1487. cujus initium: *Incipit liber primus Fr. Thomæ de Kempis, de Imitatione Chriſti,* Servatur in Bibliotheca Cæſarea Pragenſi. Diopt. Heſ. n. 12.

XXVIII. *Codex impreſſus Norimbergæ* anno 1487. qui & ipſe nomen Thomæ K. præfert. Teſtis eſt Joannes Saubertus *in Appendice ad Hiſtoriam Bibliothecæ Reipublicæ Norimbergenſis.*

XXIX. XXX. XXXI. *Tres Codices MSS. Rebdorffenſes.* De his P. Heſerus in ſuo Hecatompylo

pylo ſic habet : Ex Bibliotheca monaſterii Rebdorffenſis nactus ſum tres MSS. Codices, quorum tertius exſcriptus eſt anno 1488. in ſingulis his Codicibus legere eſt vitam Thomæ K. ab authore Synchrono, qui teſtatur, ſe ea, quæ ſcribit, accepiſſe â fratribus illius conventus, in quo Thomas K. vixit, eosque fratres adhuc vivere : tribus vitis his annexus eſt Catalogus operum Thomæ K. in quo etiam ponitur : *Libellus ſententiarum & verborum humilis JEſu ; aliàs vocatus de Imitatione Chriſti.* Vide vitam Thomæ K. ab Heſero editam cum præfato Catalogo.

XXXII. XXXIII. XXXIV. XXXV. XXXVI. *Petrus Schottus* Canon. Argentoratenſis, qui editioni operum Gerſonis Cancellarii Argentoratenſi de anno 1480. præfixit Gerſonis Encomium, in quo ſic habet : *Alii tractatus, qui Gerſoni nonnunquam tribuuntur, ſed tamen authorem certum habent, ut eſt libellus de contemptu mundi, quem conſtat à quodam Thoma Canonico Regulari editum, & plures alii, non ſunt operibus ſuis inſerti.* Hæc Schotti præfatio recepta eſt etiam ab Editoribus operum Gerſonis in editione anni 1489. 1494. 1514. 1502. 1521. Et in editionibus ſeparatis libri d. J. ſub titulo Gerſonis Cancellarii plerumque addita

ſunt

sunt ista verba : *Quamvis iste libellus dicatur Joannis Gersonnis, author tamen istius fuit Thomas de Kempis Canonicus Regularis.*

XXXVIII. *Argentinensis* impressus 1489. cujus initium: *Incipit liber primus Fr. Thomæ de Kempis, de Imitatione.* Heserus in Hecatomp. testatur, se hanc editionem pluribus monstrasse.

XXXIX. *Memmingensis* impressus 1489. Proemiator sic habet : *Author tractatus diviniſſimi de Imitatione Christi vocatur Dominus Thomas Præpositus & Prælatus Canonicorum Regularium.* En ! hic aliquis ex Thoma Subpriore facit Prælatum ; quid mirum, si aliquis ex Gersone fecerit Abbatem? vide Diopt. n. 15.

XL. *Lugdunensis impressus anno* 1489. hujus indicium præbet Thomas Carræus in *Thoma K. à seipso restituto* repet. 2. n. 4. asseritque, eum asservari in Sorbona. Aliud exemplar extare in Bibliotheca S. Genovefæ Parisiis testatur author libri : *La Contestation touchant l'autheur de l'imitation.* p. 1. prob. 4.

XLI. *Parisiensis impressus anno* 1493. versus in linguam gallicam ; cujus Interpres sic habet : *Incipit liber de Imitatione, qui hactenus ab aliquibus S. Bernardo attributus fuit,*

aut

aut Magistro Joanni Gersoni; esto res se aliter habeat; nam author illius fuit Canonicus Regularis dictus Frater Thomas de Kempis. vide Frontonem in *Thoma K. vindicato* p. 3. §. 3. Carræum. repet. 2. n. 7. authorem *de la Conteſtation.* Dupin. l. cc. §. 4.

XLII. *Editio Parisiensis latina* 1493. de qua author *de la Conteſtation* teſtatur, eam extare ac monſtrari apud Canonicos Regulares Pontis Mouſſonii.

XLIII. *Editio Norimbergensis* 1494. quæ etiam ſervatur in noſtra Bibliotheca Pollingana. initium ſic habet: *Dulciſſimi ac divi Thomæ de Kempis, viri piiſſimi, religioſiſſimique, de Imitatione Chriſti, opus, quod falſò apud vulgares, Gerſoni Pariſienſi Cancellario impingitur.* Editioni præfuit Georgius Pirkamerus Cartuſianorum Norimbergæ Prior, & per Germaniam Viſitator.

XLIV. XLV. *Editiones Italæ.* Joannes Fronto Cancellarius Pariſienſis, vir eruditionis & pietatis fama clariſſimus, in ſuo Thoma Vindicato p. 3. §. 5. fidem ſuam interponit, *ſe vidiſſe plures editiones in Italia factas ante annum* 1500. *quæ Thomæ K. nomen præferant.* Cum plures ille viderit, non erro, ſi ſumo duas.

XLVI.

XLVI. XLVII. XLVIII. XLIX. L. Editio Colonienſis 1501. & 1503. extant, teſte Heſero, in Bibliotheca Garſenſi. Alia editio Colonienſis 1507. & 1509. extant, teſte Heſero, in Augienſi Bibliotheca. Et editio Antverpienſis 1519. cujus meminit Thomas Carræus l. cc. omnes hæ editiones Thomæ K. nomen præferunt.

LI. *Codex MS. achronus, ſed authographus Thomæ K.* Lovanii aſſervatus. Joannes Vlimerius Canonicorum Regularium ad. D. Martinum Prior, vir doctus, teſtatur ſe ante multos annos hunc Codicem MS. librorum de Imitatione accepiſſe â Canonicis Regularibus Montis S. Agnetis, affirmantibus, eum manu ipſius authoris Thomæ à Kempis ſcriptum eſſe, uti per traditionem continuam à Majoribus ſuis ejus Monaſterii fratribus acceperunt. Vlimerius hunc Codicem ex Monaſterio Thomæ K. accepit anno 1570. adeoque centum annis poſt Thomæ K. mortem; traditio autem à centum annorum ſpatio ſuſpicione caret. Inſtrumentum de rei veritate vide Inform. fol. 238.

LII. LIII. *Codices MSS. in tractu Rheni* R. P. Haſius Provinciæ Rhenanæ Societatis JEſu litteris ſuis ad P. Heſerum teſtatur, ſe paſſim Codices MSS. de Im. etiam ipſius

Thomæ ætate exaratos, qui nomen illius præferant, reperiſſe; talem etiam *ſe vidiſſe Confluentiæ in Collegio Soc. JEſu, cui plerique Codices è deſolato Regularium Monaſterio obvenerant.* Cum ille viderit plures, licebit mihi ponere duos.

LIV. LV. *Albertus Luyckenius* Congregationis Windesheimenſis Generalis, ſic habet: *Vidi ego Indices Bibliothecarum quarundam domorum Ordinis noſtri antiquos & antiqua fide ſcriptos, qui exemplaria MSS. Imitationis Chriſti adſcribebant Thomæ, aut hac adſcriptione. Pii alicujus fratris.* Roſw. teſtim. §. 1. n. 7.

LVI. *Codex MS.* in Bibliotheca Reipublicæ Auguſtanæ, qui in Catalogo notatur his verbis. *M. Thomæ de Monte S. Agnetis & Canonici Regularis in Trajecto de Imitatione Chriſti.* Scriptus eſt ante an. 1490. & quidem circa annum 1454. quia duo alii tractatus in eodem Codice annum 1454. ſubſcriptum habent; nec veroſimile poſt primam editionem typis Auguſtanis an. 1472. factam quempiam ſibi voluiſſe ſumere laborem, deſcribendi librum jam impreſſum. Diopt. n. 16.

LVII. *Codex Chiffletianus* MS. de quo D. Philippus Chiffletius ſic ſcribit litteris 1651. 2. Mar-

2. Martii ad Heserum datis : *Fuit Abbas Ordinis S. Benedicti, qui cum mihi commodasset elegans & antiquum Manuscriptum, quod librum de Imitatione clarè Thomæ à Kempis legitimo ejus possessori attribuit, venerabilem antiquitatem additione suæ manus violavit, postquam è meis manibus exivit.* Heserus in Hecatomp. Simile factum Heserus narrat circa Codicem Abbatiæ S. Vetasti Atrebatensis, & circa Codicem MS. Georgianum Augustæ additis authenticis testimoniis.

LVIII. LIX. LX. *Codex MS. Dunensis, Lætiensis, Tungrensis ;* quorum meminit Sanderus in libro, cui titulus : *Bibliotheca Belgica Manuscripta.* Primus habetur in Monasterio, quod appellatur Dunum, Ordinis Cisterciensis in Flandria, sub titulo : *Thomas à Kempis de Imitatione.* Alter extat in Monasterio S. Lamberti Lætiensis Ordinis S. Benedicti Diœcesis Cameracensis, sub titulo : *Thomas à Kempis de Imitatione Christi.* Tertius asservatur in Bibliotheca Canonicorum Regularium Tungris sub titulo : *Thomas à Kempis de Imitatione, & sermones ad Novitios.*

LXI. LXII. *Codices MS. Rebdorffenses* duo, quorum ambo librum d. J. continent sub titulo Thomæ K. Rem Heserus certam fe-

cit authoritate publica jurati Notarii ; nec non adſcripta teſtificatione A. R. P. Petri Breidendonck Sub-Prioris in Rebdorf.

LXIII. *Codex Rinsbergenſis* Geldriæ in monaſterio Can. Reg. membranaceus MS. qui ſub titulo Thomæ K. continet libros de Imit. Roſw. Teſt. §. 1. n. 5.

LXIV. LXV. LXVI. LXVII. *Codices MSS. in Bavaria.* Juſſit Sereniſſimus Dux Bavariæ & Elector Maximilianus anno 1610. ut omnia Monaſteria Bavariæ conficerent Catalogum omnium ſuorum Manuſcriptorum, eumque ad Bibliothecam Electoralem deponerent. Mandato obtemperatum eſt. Omnes hos Catalogos à Bibliothecariis cujuslibet Monaſterii ſcriptos perlegi, & reperi, in aliquibus monaſteriis librum d. J. reperiri ſub titulo D. Bernardi aut Gerſonis Cancellarii, plerumque tamen ſub titulo Thomæ K. nunquam ſub titulo Gerſenis. Reperi itaque in Catalogo Manuſcriptorum Monaſterii Raittenhaslenſis annotatum librum hoc modo : *Liber ; non errabis. De Imitatione Chriſti. Sunt c. 25. Thomæ de Kempis.*

2. In Catalogo Monaſterii Staingadenſis reperi librum ſic notatum. *Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti.* l. 4. ſcriptus eſt in Chartam in 4.

3. In

3. In Catalogo Monaſterii S. Magni prope Ratisbonam ſic notatus erat : *F. Thomæ Ord. Can. Reg. Aug. Montis S. Agnetis diœceſis Trajectenſis opuſculum in quatuor partes diviſum ; quarum prima : Admonitiones ad ſpiritualem vitam. Secunda. Admonitiones ad interna trahentes, Tertia agit de interna conſolatione. Quarta de Euchariſtiæ ſumptione. in* 8.

4. In Catalogo Monaſterii Ettallenſis reperi Codicem MS. ſic inſcriptum : *Libellus de Imitatione Chriſti & contemptu omnium vanitatum, in* 8. *Authore Fratre Thoma de Conventu & Ordine Canonicorum Regulæ S. Auguſtini Montis S. Agnetis Trajecenſis dyœceſis.*

LXVIII. Joannes Trithemius Abbas Spanheimenſis Ordinis S. Benedicti, vir in retegendis genuinis librorum authoribus indefeſſus, in libro de Viris Illuſtribus Germaniæ ſic habet : *Thomas de Kempis, vita & converſatione devotus, ſcripſit quædam devota volumina, de quibus feruntur ſubjecta : de contemptu mundi, & Imitatione Chriſti. Claruit temporibus Ruperti Bavari Imperatoris anno* 1410. non multum errat Trithemius, dum dicit, Thomam claruiſſe 1410. nam & Buſchius ſcribit, Thomam

jam anno 1424. fuiſſe celebrem. Idem Trithemius in libro *de Scriptoribus Eccleſiaſticis*, quem abſolvit anno 1494., ſimiliter librum de Imitatione attribuit Thomæ K. dicitque: *Quem librum ante multos annos ſeniores noſtri ſuos ferunt legiſſe ſeniores.* Si ponamus per 70 *multos annos* denotari viginti annos; itaque anno 1474. dixerunt Seniores Monaſterii Spanheimenſis, librum d. J. jam à ſuis Senioribus lectum eſſe; & ſenſus utique erat iſte; *dum nos eramus fratres juniores, Seniores Monaſterii noſtri jam legerunt hunc librum.* Ponamus Seniores illos fuiſſe 70. annorum, erant itaque fratres juniores ante 50. annos, nempe anno 1424. quo utique liber legi poterat tanquam aliquid novi à Senioribus Monaſterii, utpote juxta me ſcriptus, circa annum 1420. Similem modum loquendi reperi in ipſo Thomæ K. Serm. 17. ad Novit. n. 7. ubi an. 1430. ſcribens ait: *Novi ſenem fratrem, qui in juventute ſua ſeniorum verba libenter audivit.* Cum tamen ejus monaſterium primum fundatum fuerit ante 35. annos, nempe an. 1395.

LXIX. Joannes Mauburnus, profeſſus in Monaſterio Montis S. Agnetis prope Swollis, in quo Thomas K. vixit, paucis annis

annis poſt mortem Thomæ K. adſcribit eidem librum d. J. in ſuo enim *Venatorio*, cujus autographum aſſervatur Pariſiis ad S. Victorem, loquens de Viris illuſtribus ſuæ congregationis Windesheimenſis ait: *Frater Thomas à Kempis inter cætera opuſcula, quæ fecit, compoſuit libellum, Qui ſequitur me.* Idem in ſuo Roſeto ſpiritualium Exercitiorum ſæpius citat Thomam K. ut authorem libri d. J. in dietario §. 3. dicit: Monet devotus Thomas noſter Kempis: *Non ſis in celebrando nimis prolixus, aut feſtinus, ſed ſerva communem bonum modum eorum, cum quibus vivis.* Quod eſt in l. d. J. l. 4. c. 10. In ſcala Communionis. tit. 6. alph. 20. de Conſid. memb. 1. ait: *Hinc enim juxta Thomam noſtrum Kempis tam præparationis incurii ſumus, quia non ſatis, quid acturi, vel quem ſumus ſuſcepturi, æſtimamus.* Et tit. 6. alph. 22. §. 4. ait: *Quam doctrinam Thomas noſter Kempis inſecutus erat, cum communicaturus dicebat: O Deus meus, amor æternus, cupio te ſuſcipere cum vehementiſſimo deſiderio, & digniſſima reverentia, quibus unquam exceptus es ab ullo ſanctorum, & licet indignus ſum, omnia illa ſentimenta devotionis habere.* Eſt ex l. 4. d. J. c. 13.

LXX. *Socius Mauburni*, qui cum Mauburno venit in Galliam, ut collapſam diſciplinam in domo S. Severini reſtitueret; & ipſe profeſſus in Monaſterio S. Agnetis prope Swollis, adeoque conprofeſſus Thomæ Kempenſis, ſcripſit Epiſtolam ad Fr. Julianum Oret, cujus exemplum aſſervatur ad S. Genovefam Pariſiis; in ea Epiſtola ſæpius agnoſcit, Thomam K. eſſe authorem l. d. J. Vide Inform. fol. 189. ubi verba retuli.

LXXI. *Joannes Gailer Kaiſerpergius* anno 1498. ſcripſit librum: *Navicula fatuorum*, ubi citat textum libri d. J. ſub titulo Thomæ K. vid. Inform. f. 190. ubi verba retuli, erat autem Gailerus vir celeberrimus.

LXXII. Jacobus Philippus Bergomenſis Ord. Erem. S. Aug. Hiſtoricus celeberrimus; in ſupplemento ad annum 1406. ait: *Thomas natione Teutonicus Ordin. Can. Reg. ſcripſit ſubjecta opuſcula, & primo. de contemptu mundi lib. 4. incipit. Qui ſequitur me.*

LXXIII. *Patres Benedictini Abbatiæ S. Germani à Pratis*, qui Jodocum Badium Aſcenſium rogarunt, *ut pientiſſimi Fratris Thomæ à Kem-*

à Kempis opera prælo committeret, ut ipse Badius testatur.

LXXIV. Jodocus Badius Ascensius, qui anno 1520. 1521. & 1523. paravit tres editiones operum Thomæ Kempensis. De hoc tamen Thullierius fol. 1. Hist. Concert. ait; *Primus, cui in mentem venerit, aureum illud opusculum Thomæ à Kempis tribuere, Jodocus Badius Ascensius fuit.* Itane Thullieri dicis, te documenta in manibus tuis ad historiam hujus Concertationis pertinentia tenere *omnia*? En! plus quam 70. præcedunt Badium testes synchroni, testes ejusdem cum Thoma K. patriæ, ejusdem Congregationis, testes ejusdem Monasterii; tu omnes præteris, & in ipso limine historiæ tuæ Ascensium Badium omnium novissimum primum facis! quæso, quæ fides tali historiæ, *historiæ sine teste?* quin te Eruditis omnibus egregiè sincerum proba, nec connutritiis addictum fabulis; fatere, inquam, duos aut tres præferentes Joannis Gersenis, nescio cujus, nomen Codices, contra numerum tot Codicum, tot testium *probare nihil.*

Verum penè extra limites Epistolæ me in Galliam egressum sentio; omnis mora in periculo est; mature redeo, reducem

me, cauſamque meam ad tribunal Sapientiæ, non illius increatæ, ad cujus nimis ſeram mortales rebelles lumini fruſtra appellant ſententiam, ſed ad tribunal creatæ ſapientiæ, humanæ, œcumenicæ, quam in ſua Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ. Dominatione ſuſpicio, me, meamque cauſam proſterno pro me nil aliud adduco, quam traditionem continuam ipſorum Thomæ Kempenſi familiarium, jam ſatis demonſtratam. Hanc traditionem, cui teſte Auguſtino non niſi demens obſtiterit, demonſtrationem eſſe ad minimum moraliter certam, cum D. Auguſtino, & Eccleſia ſemper Orbis agnovit; non habet Eccleſia aliud ſtabilius fundamentum, quo Epiſtolas & ſcripturas hagiographas eſſe Apoſtolorum probet, niſi traditionis continuæ conſtantem fidem, fruſtra unius aut alterius ſpurii Codicis turbatam malitiâ. Patete, ut hujus meæ demonſtrationis, totiusque Epiſtolæ meæ ſoliditatem Doctoris Doctorum, Hypponenſis mei Præſulis, cujus omnia opera nùper legendo abſolvi, authoritate ſubſignem. Libro 33. contra Fauſtum c. 6. hanc tutam Criticis omnibus pro dijudicandis genuinis librorum authoribus figit Regulam: *Quid vobis (mani-*

(*manichæis*), *inquit*, *faciam*, *quos ita obsurde fecit iniquitas*, *ut quidquid adversum vos ex scripturis prolatum fuerit*, *non esse dictum ab Apostolo*, *sed à nescio quo falsario sub ejus nomine scriptum esse dicere audeatis. Infelices animæ! de quo libro certum erit*, *cujus sit*, *si litteræ*, *quas apostolorum dicit Ecclesia*, *ab ipsis apostolis propagata*, *per omnes gentes declarata*, *utrum apostolorum sint*, *incertum est? In litteris sæcularibus sub authorum nominibus multa prolata sunt*, *& ideo repudiata*, *quia vel his scriptis*, *quæ ipsorum esse constabat*, *minime congruerunt*, *vel eo tempore*, *quo illi scripserant*, *nequaquam innotescere*, *& per ipsos familiarissimos eorum in posteros prodi meruerunt*; *ut alios omittam*, *sub Hippocratis Medici nobilissimi nomine quidam libri prolati*, *in authoritatem à Medicis recepti non sunt*, *quando comparati eis*, *quos verè Hippocratis esse constabat*, *impares judicati sunt*; *& quod ab eo tempore*, *quo & cætera ejus scripta*, *non innotuerunt*, *quod verè ejus essent. Hos autem libros*, *quibus illi comparati respuuntur*, *si quis neget esse Hippocratis*, *non refellitur*, *sed ridetur*: *cur? quia sic eos ab ipso Hippocratis tempore usque ad hoc tempus & deinceps successionis series commendavit*, *ut hinc dubitare dementis sit.*

Plato-

Platonis, Ariſtotelis, Ciceronis, Varronis, aliorumque ejusmodi authorum libros unde noverunt homines, quod ipſorum ſint, niſi eadem temporum ſibimet ſuccedentium conteſtatione continua? multi multa de litteris Eccleſiaſticis conſcripſerunt; unde conſtat, quid cujus ſit, niſi quia his temporibus, quibus ea quisque ſcripſit, quibus potuit, inſinuavit, atque edidit, & inde in alios atque alios continuata notitia, latiusque firmata ad poſteros, etiam usque ad noſtra tempora pervenerunt, ita ut interrogati, cujus quisque liber ſit, non hæſitemus, quid reſpondere debeamus. Sed quid pergam in longè præterita? Ecce iſtas litteras, quas habemus in manibus, ſi poſt aliquantum tempus vitæ hujus noſtræ, vel illas Fauſti eſſe, vel has neget eſſe meas, unde convincitur, niſi quia illi, qui nunc iſta noverunt, notitiam ſuam ad longe etiam poſt futuros continuatis poſterorum ſucceſſionibus trajiciunt? Quæ cum ita ſint, quis tandem tanto furore cæcatur, niſi dæmoniorum mendaciloquorum malitia ſubverſus ſit, qui dicat, non mereri potuiſſe, tam fidam tam numeroſam fratrum concordiam, ut eorum ſcripta fideliter ad poſteros trajicerent, cum eorum cathedras usque ad præſens certiſſima ſucceſſione ſervaverint, Hucusque Doctorum Aquila Auguſtinus.

Nun-

Nunquid opus fuerit, ut hanc Regulam ad Thomam noſtrum applicem, quem plus quam 70. teſtes ejusdem patriæ, ejusdem Congregationis, ejusdem Monaſterii, ejusdem ætatis, ſynchroni ac coævi commendant, contra Gerſenem, de quo ne quidem ullus apex in ullo ante ſæculum 17. authore profertur? An credibile eſt, homines auſuros fuiſſe ſæculo 15. adſcribere librum tam celebrem authori adhuc exiſtenti inter vivos, aut heri mortuo, ſi ille liber jam ſæculo 13. ſcriptus, & à D. Bonaventura commendatus fuiſſet? potuitne liber adeo divinus, adeo accomodus ad captum omnium per duo ſæcula latere in tenebris, ut nec umbram illius usque ad ſæculum 15. fere medium in ullo authorum reperias? dent adverſarii vel unicum exemplum, quo plusquam 70. teſtes coævi, ſynchroni, familiares adſcripſerint librum celebrem authori adhuc vivo aut heri mortuo, qui tamen jam ante ducentos annos ſcriptus erat, aut fateantur ex Regula S. Hyeronimi contra Pelagianos *id eſſe impoſſibile, quod nunquam factum eſt.* Si dicant; totam germaniam deceptam eſſe authographo Antverpienſi, cui ſubſcriptum erat: *per manus Fr. Thomæ*, &c. id æquè ridiculum eſt, ac ſi quis diceret, integram

Ger-

Germaniam Typographum aliquem agnoſcere pro authore alicujus libri, ob ſubſcriptionem tituli, v. g. *Typis Plantinianis.* Cum utique ſæculo 15. nemini ignotum eſſe potuerit, formulam illam ſubſcriptionis omnibus librariis communem non eſſe authoris notam characteriſticam, ſed librarii: aut ſi etiam quis exinde erraſſet, impoſſibile erat, ut error in Capitulis Generalibus Congregationis Windesheimenſis ſingulis annis in Windesheim uno tantum milliari à Monaſterio S. Agnetis diſſito celebratis non detegeretur.

Num dicent; textum S. Auguſtini minimè convenire libro, cui ſemper reſtitit Exemplarium MSS. diverſitas; ſed ſolis ſcripturis Canonicis, quos conſtans ac unanimis ſemper traditio & Eccleſia recepit? multa dicerem; unum dicam; Thomam Kempenſem pro authore libri de Imitatione â tota ferè Eccleſia agnoſci: ipſum Romanum Lateranenſe ſub Beatiſſimo Patre Benedicto. 13. anno 1725. celebratum Concilium Thomæ Kempenſi partum ſuum nullo reclamante reddidit, dum in Appendice ad tit. 15. C. 9. n. 10. ſic habet: *Ultimus quadrans orationi mentali tribuetur, propoſitis punctis meditationis, deſumendis ex celebri*

lebri Thoma de Kempis. Addam & istud, nullum esse librum scripturæ, cui non statim primis sæculis aliquis hæreticorum suum authorem DEum publicè contestata lite abstulerit; circa librum de Imitatione errarunt quidem aliqui; qui contestata lite authori ante sæculum 17. bellum indixerit, aut assertores Thomæ K. obfirmatissimos publicè impugnaverit, inventus est nullus. Certa itaque est perpetua, & imperturbata nostrorum immo non nostrorum, sed totius orbis traditio.

Sed jam claudendi rivuli! & alterum argumentum ex Stylo authoris petitum non Epistolæ angustis limitibus, sed integro libro reservandum video; hoc mihi demum fluctus irreguietus agitatissimæ hujus Controversiæ profuit, ut denique in novam methodum inciderim, accurratione geometrica judicandi ex stylo de genuinis librorum authoribus, quod ad distinguendos genuinos SS. Patrum, aliorumque scriptorum tum sacrorum tum profanorum partus â suppositititiis in hac re utile est. Ablactandus interea, & excomendus hic ipse partus, dum matureſcat in publicum: & hoc ipsum utique interest boni publici, cui laborant, qui scribunt, singuli, ne cito prosint. Certam

tam itaque hujus meæ tardæ feſtinationis ſperans ab Illuſtr. ac Excell. D. D. Patrono meo Indulgentiam, ut diu mihi eadem frui liceat, bonisque omnibus, vitam interminam DEum precor.

Illuſtriſſ. ac Excellentiſſ.
Dominationis ſuæ

Servus in Chriſto.

* * * C. R. P.

IV.

IV.

EPISTOLA DE PROVIDENTIA STOICA.

Jo. Georg. Schelhornio,

amico jvcvndissimo

Iacobvs Brvckervs

Χαίρειν.

EX quo, Optime Schelhorni, cum nuper Tua præsentia, qua mihi nihil unquam accidit jucundius, frui liceret, inter alios sermones de providentia sectæ Stoicæ vel asserta vel negata colloquendi facta fuit copia, inter pauciſſimas, quas mihi supereſſe probe noſti, horulas ea de re paulo altius cogitando, ad ANTONINI Imperatoris commentarios de vita ſua, vel de officiis potius vitæ ſuæ atque regulis delapſus, in non contemnendum & ſolito clariorem locum incidi, quem hac quidem occaſione re-

ferre, & ita materiæ huic ad amplificandam revelatæ veritatis gloriam & detegendas regni ſatanici profunditates tantopere facienti lucem aliquam affundere, Tu pro Tua inter nos amicitia ægrè non feres. Ipſe vero probe noſti, quanto labore Stoicos in veritatis divinæ aſſenſum traxerint non maleſani tantum inter tenebras & lucem conciliatores STEVCHVS, PANSA, PFANNERVS, HVETIVS, quibus non imerito adnumerandus Vir cetera diligentiſſimus & prolixæ eruditionis TH. GATAKERVS, aliique, ſed pro aſſerta quoque ab iis ſano atque pio ſenſu providentia pugnaverit Stoicæ philoſophiæ vindex JVST. LIPSIVS *Phyſiol. Stoic. l. I. Diſſ. XI. p. m. 57. ſeqq.* in cujus ſententiam & partes alios quoque hodie video concedere. Quod profecto mirum videri queat, poſtquam recentiori ætate plures eruditi viri Stoicæ philoſophiæ βδελύγματα detexere, & imprimis Vir in his literis ſummus JAC. THOMASIVS *Diſſ. XIII. de exuſt. mundi Stoica pag.* 166. *ſeqq.* Chryſippo præcipuo auctore (de quo pervulgatum illud:

εἰ μὴ γὰρ Χρύσιππος, οὐκ ἂν ἦν Στοά.

Niſi

Niſi fuiſſet Chryſippus, non eſſet Porticus,

Refert DIOG. LAERT. *l. VII. ſ.* 183. laudante quoque LIPSIO (*Manud. ad phil. Stoic. l. I. Diſſ. XI. p. m.* 57.) tam ſolide Stoici fati, providentiam omnem ſubvertentis malignitatem oſtendit, ut meo quidem judicio contra ſolem loquatur, quisquis Aethiopi huic alborem inducere conetur. Et negari quidem non poteſt, tam ſplendide paſſim de providentia locutos fuiſſe Stoicos, tam egregia verborum pompa Deo ſuo cauſarum directionem tribuiſſe, ut falſiſſimam & ad decipiendum natam factamque eorum linguam ambiguas voces & ſplendida mendacia non intus & cute, quod ajunt, noſcenti facilime imponant, ut vel *l. II. CICERONIS de nat. Deor. vel l. VII. ſ.* 138. LAERTII legenti erit manifeſtum. Sed comparatum tamen ita eſt cum toto illorum hominum ſyſtemate, potiſſimum vero cum hujus univerſi phyſiologia, ut, ſi cuncta rite ponderentur, & ex domeſticis & primis principiis concluſiones & aſſertiones eorum explicentur, appareat, neceſſitati cuidam abſolutæ, id eſt fato cœco omnia eos tribuiſ-

ſe, & per providentiam nihil aliud, niſi obſequium Dei iſti neceſſitati præſtitum, immo ſi rem clare eloqui fas eſt, univerſi hujus, non enim alium agnoſcebant Deum, conſtantem ad ſuam naturam & neceſſarium tenorem, & imperturbatam omnium rerum, & materiæ tum craſſioris, tum ſubtilioris, id eſt, Dei ſeriem, & concatenata vincula intellexiſſe. Quod etſi multis iisque genuinis Stoæ decretis poſſet probari, hoc tamen labore cum in Otio Vindelico, poſt fata ſua tandem, precor! prodituro defunctus jam ſim, unicum, ad quem ſupra digitum intendi, ANTONINI locum, pace Tua afferam, præſertim cum alio tempore, cum de hoc argumento ſcriberem, is me fugerit. Ita vero Imperator στωικώτατος *l. VII. §.* 9. Πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ ἡ σύνδεσις, καὶ σχεδὸν οὐδὲν ἀλλότριον ἄλλο ἄλλῳ· συγκατατέτακται γὰρ καὶ συγκοσμεῖ τὸν αὐτὸν κόσμον. Κόσμος τε γάρ ἐις διὰ ἁπάντων, καὶ Θεὸς εἷς διὰ πάντων, καὶ οὐσία μία, καὶ νόμος εἷς, λόγος κοινὸς πάντων τῶν νοερῶν ζώων, καὶ ἀλήθεια μία, εἴγε καὶ τελείοτης μία τῶν ὁμογενῶν καὶ τοῦ αὐτοῦ λόγου μετεχόντων ζώων. *Omnia ſunt ſibi invicem implexa, & vinculo quodam ſacro*

ero ita ſibi invicem devincta, ut nihil alterum ab altero ſit alienum. Coordinantur enim ſimul, eundemque mundum coboneſtant, etenim & mundus unus, & Deus unus eſt in omnibus & eſſentia una, & lex una: ratio nempe animantium intelligentium omnium communis, & veritas una: ſiquidem & perfectio una animantium ſibi invicem congenerum ejusdemque rationis participum. Tam clara hæc ſunt omnia, & tam aperte ipſa impietatis Stoicæ fundamenta patefaciunt, & larvis ſuis denudant, ut ſine commentario cuivis prona intellectu eſſe, mihi habeam perſuaſiſſimum. Lubet tamen paucis ea expendere. Statuit vero Antoninus I. VINCVLVM SACRVM, quo omnia ſibi invicem ita implexa & concatenata ſint, ut dato uno ſequatur alterum, quod ſine eo ex neceſſaria ſequelæ lege eſſe non poteſt, adeo ut unum inevitabili ſerie poſt ſe trahat alterum. Egregia philoſophia! quæ omnem prorſus libertatem, & cum ea quoque omnem providentiam, quæ eſt actionum liberarum ſapientiſſima directio, tollit, & abſolutam quandam neceſſitatem inducit. Et tamen tam ſacrum ipſi viſum fuit hoc vinculum, ut ſæpius repetierit; audi quæſo *l. IV. §.* 38. ipſum diſſerentem:

Πολλάκις ἐνθυμοῦ τὴν ἐπισύνδεσιν πάντων τῶν ἐν τῷ κόσμῳ, καὶ σχέσιν πρὸς ἄλληλα· τρόπον γάρ τινα πάντα ἀλλήλοις ἐπιπλέκεται, καὶ πάντα κατά τοῦτο φίλα ἀλλήλοις ἐστί. Καὶ γὰρ ἄλλο ἐξῆς ἐστι τοῦτο, διὰ τὴν τοπικὴν κοίνησιν, καὶ σύμπνοιαν, καὶ τὴν ἕνωσιν τῆς οὐσίας. *Perpende tecum jugiter, rerum omnium, quæ in mundo ſunt, connexionem mutuam, quamque ad ſe invicem affectionem habeant: ſunt enim omnia quodammodo ſibi invicem implexa, atque ea ratione ſibi invicem amica, alterum enim alterius conſequens eſt, & per connexionem localem, & per conſpirationem mutuam, & per materiæ (eſſentiæ) continuitatem.* Alia loca *l. IV. §. 40. 45. l. VII.* paſſim non exſcribo. Germaniſſime Stoica cuncta, nihilque aliud quam συμπλοκὴ ἀπαράβατος, *indeclinabilis rerum ſeries* Chryſippi, apud GELLIVM *Noct. Att. l. VI. c. 2.* Luculenter præ ceteris SENECA *de provid. c. 5. Scio omnia certa, & in æternum dicta lege decurrere. Fata nos ducunt: & quantum cuique reſtet, prima naſcentium hora diſpoſuit, cauſa pendet ex cauſa, privata ac publica longus ordo rerum trahit.* Sed & reliqua, una cum antecedentibus legenda ſunt, verbis Antonini lucem fœneratura. Immo non Antonini tantum & Senecæ, ſed

ſed totius ſectæ Stoicæ ejusque anteſignanorum eſt hæc doctrina, quam Chryſippo, Poſidonio, Zenoni, Boëtho tribuit DIOG. LAERT. *l. VII. ſ.* 149. additque ἐστι εἱμαρμένη αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται, *fatum eſt connexa rerum ſeries, ſive ratio per quam mundus adminiſtratur.* Non vero hæc ratio libera eſt, ſed neceſſitate connexionis cogitur & cogit, ita ut aliter evenire prorſus nequeat, unde PLVTARCH. *de placit. philoſ. l. I. c.* 27. οἱ Στωικοὶ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητον φασὶν αἰτίαν καὶ βιαστικὴν, τὴν δὲ εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένων, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ πάρ ἡμᾶς ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δ' ἀνειμάρθαι, ex quo certe loco haud obſcure patet, *non coactivam tantum, ſed & inſuperabilem & immobilem cauſarum inque ſe connexam neceſſitatem actionum noſtrarum moderatricem fatum continere.* Hæc vero omnia tam miſere cum providentia ſano ſenſu ſumta cohærent, ut vel ego omnino fallar, vel quid ſalvis his decretis, liberum, quid neceſſarium, quid providentia, quid fatum ſit explicari non queat. II. Vltra progreditur ANTONINVS, & non arctiſſime & inſolubiliter connexam tantum rerum, eſſentiarum, & actionum ſeriem,

tanquam concatenatum quoddam vinculum proponit, ſed & ſacrum illud eſſe ex eo probat, quia mundus unus, & Deus unus in omnibus & materia, οὐσία potius, eſſentia una omnibus. His aſſertis plane concidit providentia Stoica, modo recte intelligantur. Placuit ſcilicet genti impiæ, omnia ex una materiæ compage, quam „chaos vocabant orta eſſe atque extitiſſe, & „hanc quidem univerſalem materiam, ſive „univerſum, ſua natura, ſuis legibus, motuique neceſſario ſibi parentem & imperantem, quandoque Deum vocabant. „Hanc vero materiam iterum in duas di„ſpeſcebant claſſes, quarum uni tribuebant „materiam ſtabiliſſimam, id eſt ignem „cœleſtem & puriſſimum, alteri materiam „craſſiorem; illam Deum, hanc mundum „ſtrîcte ſic dictum (nam & univerſum il„lis mundus eſt) vocabant: illam facie„bant activam, hanc paſſivam, illam ſta„tuebant, hanc ubique permeare, vivifica„re, animare, utramque vero connexius „univerſi legibus parere. Hæc magno Stoicorum conſenſu probata eſſet, niſi poſt ipſum LIPSIVM *l. I. Diſſ. V.* JAC. THOMASIVS *l. c. p.* 172. *ſeqq.* rem confeciſſet, nosque alio loco ſatis amplum inſti-

inſtituiſſemus ſpicilegium. Ne tamen abeam ἀσύμβολος, en ipſum Imperatorem noſtrum, qui ſane luculenter *l. IV. §. 40.* ὡς ἕν ζῶον τὸν κόσμον (κρινέτω) μίαν οὐσίαν καὶ ψυχὴν μίαν ἐπέχον, συνεχῶς ἐπινοεῖν· Καὶ πῶς εἰς ἄισθησιν μίαν τὴν τούτου πάντα ἀναδίδοται. Καὶ πῶς ὁρμῇ μίᾳ πάντα πράσσει, καὶ πῶς πάντα πάντων τῶν γινομένων συναίτια ἢ δια τις ἡ σύνησις καὶ συμπνευσις. *Cogita mundum eſſe animalis unius inſtar, quod materiam (eſſentiam) unam, animamque unam obtineat, item quomodo ad ſenſum hujusce unum & illum omnia referantur, unoque quaſi impetu ferantur univerſa, & ad omnia producenda cooperantur, quis denique rerum nexus & contextus ſit.* Paria paſſim deprehenduntur notata GATAKERO *ad marg. b. l.* & apud SENEC. *ep. 65.* LAERT. *l. VII. ſ. 145.* CICER. *de nat. Deor. l. II.* PLVT. *de pl. phil. l. I. c. 7.* aliosque. Cum itaque una tantum omnium rerum eſſentia ſit, una materia, una anima, & ille ipſiſſimus quidem Deus, per quem internum Deum omnia permeantur, uno impetu omnia feruntur, prona conſequentia inde colligere licet, Stoicos per providentiam nihil aliud intelligere poſſe, quam neceſſariam ſequelam rerum ex iſto inhabitante

Deo fluentem, qui cum id in nobis & omnibus rebus neceſſario agat, quod ex natura univerſi, id eſt, ſua, agere debet, id efficit, ut omnes illius univerſi partes naturam totius neceſſario ſequantur. Vnde intelligere licet, cur Stoici finem philoſophiæ dixerint, *naturæ convenienter vivere*, & quam miſera ſit eorum providentia, cumnec Deus nec homo libertate vera gaudeat, quicquid ſplendide mentiantur philoſophaſtri impientiſſimi. III. Ex dictis jam clarum, quid communis illa ratio & una lex ſit, ſecundum quam uno naturæ impetu omnia ſimul feruntur, quæque ipſiſſima Stoicorum, providentia eſt? Scilicet Deus mundum inhabitans, permeans, & informans, quam vocem non incommode ex Peripato in Porticum tranſtulit THOMASIVS, quam recte animam mundi, cum anima mundi Platonica, hac meliore, non confundendam dixeris. Ait enim diſerte *Imperator l. IX. §. 8.* ἐις μὲν τὰ ἄλογα, ζῶα ψυχὴ διήρηται, εἰς δὲ τὰ λογικὰ μία νοερὰ ψυχὴ μεμέρισται, *in animalia irrationalia anima una diſtribuitur, in rationalia vero una anima intellectiva dividitur.* Plura non addo, videnda apud LIPSIVM *Phyſiol. Stoic. l. II. Diſſ. VI. p. 152. Diſſ. X. p. m. 177.* Quoties igitur

tur de providentia ſermo eſt apud Stoicos, ſtatim de illa univerſi anima ejusque impetu, qua voce uſus ſupra Imperator cogitandum, qui nihil liberi habet. Quod vel ex ſolo LAERTIO *l. VII. ſ.* 138. diſci poteſt, qui auctoribus Chryſippo & Poſidonio ait, τὸν κόσμον διοικεῖσθαι κατὰ νοῦν [καὶ πρόνοιαν, εἰς ἅπαν αὐτοῦ μέρος διήκοντος τοῦ νοῦ, καθάπερ ἐφ' ἡμῶν τῆς ψυχῆς. *Mundum adminiſtrari ſecundum mentem & providentiam, mente per omnes illius partes pertingente, ſicut & in noſtra anima contingit*: & ad hanc normam quæque ea, quæ apud CICERON. *l. c.* diſputantur exigenda ſunt. Ex dictis itaque, niſi me omnia fallunt, longe eſt clariſſimum, providentiam Stoicorum inane nomen eſſe, & luſiſſe hac voce peſſimos philoſophos, ἐν τῇ αὐτῶν σοφίᾳ μωρανθέντας, ut Apoſtoli voce utar, & in libertatem humanam pariter atque omnipotentiam & ſapientiam divinam maxime injurios, quorum Deaſter, ipſiſſimus Spinozæ Deus, providet, quia non aliter poteſt & cogitur, nec providere poteſt, niſi, quod æterna lege ipſum quoque cogente præſcriptum eſt. Habes hic ὦ φίλτατε aſſerti mei breves rationes, Antonini præſertim effatis nixas; quem etſi in Stoicorum ſchola præ ceteris philo-

philoſophi nomen conſecutum & genuina Zenonis ac Chryſippi placita tradentem, in explicatione tamen philoſophiæ Stoicæ a plerisque etiam ſummis in his literis viris negligi, mirari ſatis nequeo. Adderem facile plura, nec invitus quoque ad eos deſcenderem, qui ex hoc primo falſo ſequuntur errores, ſed prolixa ſcriptione nec Tibi gravis eſſe, nec epiſtolæ tranſilire limites conſtitutum eſt. Quapropter cum feliciſſimorum fatorum, ex divinæ ſapientiæ benigniſſima & liberrima providentia Tibi concedendorum voto, me Tibi, Amice Optime, trado. Vale. Scr.

Kaufbyræ Non. Nov.
cIↃIↃccXXVII.

V.

DAN. EVERHARDI DOLP

JUR. CANDID.

SPICILEGIUM OBSERVATIONUM DE JOA. AVENTINO EJUSQUE ANNALIBUS BOIORUM.

TAm praeclarum eſt inter eruditos Jo. Auentini nomen, ut multi eorum partim in commendandis poſteritati fatis, partim in recenſendis annalibus Boiorum, tamquam praecipuo illius opere, deſudarint, quorum indicem ſat copioſum, praeter fuſam accuratamque de uita ſcriptisque tam editis quam ineditis hujus auctoris narrationem, clar. ſcriptores bibliothecae hiſtoricae, quae Hamburgi prodiit, Centur. VII. p. 231. exhibuerunt. Vix ergo poſt tot praeſtantiſſimorum uirorum labores amplius quidpiam ad illuſtrandam hanc hiſtoriam afferri poſſe, ipſemet mihi perſuaſi, præſertim, quum

quum & ea, quae de germanica annalium editione jam commentatus eſt cl. J. J. Fellerus in Cel. Struuii archivo hiſtor. & politic. p. 254. ſeq. legerem, & doctiſſimam iſtam diſſertationem amœnit. liter. Tom. V. p. 51. ſeq. inſertam, junctis iis, quae p. 302. & 303. ſcripta ſunt, euoluerem. Verum poſteaquam nuperrime in manus meas peruenit annalium prima editio ab Hieron. Zieglero curata, in cujus fronte haec uerba adparent: "Clariſſimo Viro „D. Petro Agricolae Illuſtriſſimi Vuolph„gangi Palatini Bavariae principis filiorum „ſtudia gubernanti, Neoburgi ad Danu„bium Osualdus ab Egkh &c. in ami„bitiae ſymbolum dabat A. MDLXV. facili negotio non ſolum intellexi fuiſſe hunc Egkium olim Auentini noſtri diſcipulum, hincque rerum illius procul dubio perquam gnarum; ſed etiam per integrum uolumen omnia ea manu ipſius adjecta deprehendi, quae a Zieglero omiſſa ſuppleuit Nic. Ciſnerus, & ill. Struuius in act. litter. e Mſc. erut. Faſcic. VIII. p. 20. ſeq. addidit, quibus additamentis editio Gundlingiana augeri, plurimisque in locis menda operarum ſaepe ſententiam auctoris prorſus deprauantia emendari ac tolli poſſent. Nolo autem

autem in praesenti hanc susscipere operam, satis erit deinceps indicare, qua ratione meo Codici, quem instar Manuscripti aestimandum esse nemo facile dubitabit, cum Struuii exemplo conueniat. Nunc autem recensebo singula, quae primis foliis Egkhius iste passim in margine adnotauit. Post summam privilegii Cæsarei bibliopolae concessi hæcce leguntur: "Aventinus „ in collectaneis suis quodam loco haec „ propria manu adnotauit: melius face- „ rent illi principes Evangelici, si non ob „ abusum personarum, etiam rem ac con- „ tubernia ob studia litterarum & instruen- „ dos bonos mores instituta, omnino de- „ struerent. Bibliothecae & scrinia opti- „ morum librorum & monumentorum the- „ sauri redderentur studiosis. Vt Pontifex „ Romanus suis eruditis satis prouidit, „ Euangelici tot studiosos fame perire si- „ nunt, ad aratra, ac sellularias artes defi- „ cere cogunt. Tradant nobis contuber- „ nium aliquod, res divina rite perficiatur „ more maiorum, & illustrabimus uniuer- „ sam Germaniam, ac omnes artes resti- „ tuemus, quae corruent alioquin & infi- „ nitae sectae orientur." Sequitur dedicatio Ziegleri Alberto Comiti Palatino Rhe-

ni

ni inſcripta, ad cujus uerba, *cui hos annales*, in margine Egkius: " id me con-
„ſulente factum eſt, cum hoc munus jam
„Doctori Hungero delatum ac commenda-
„tum eſſet, ego uero ſolus illorum inſti-
„tutum mutaui; quibus ſatis claret, haud exiguos in promouenda annalium editione Egkhii partes fuiſſe. Subjungitur praefatio Ziegleri, ubi ea ineunte: " ego a
„morte Auentini partem illorum ſemper
„domi meae habui, alteros tomos patris
„mei bibliotheca reſeruauit. Ad uerba,
„*originali autographo*; haec omnia potuiſ-
„ſent uera in lucem prodire, ſi collecta-
„nea Auentini, ex quibus hos annales
„congeſſit, inſpexiſſent: ſed in aliud re-
„ſeruantur. Ad uerba, *nomina enim*: hoc
„aliter eſſe experientia docet. Ad uerba
„*per Celſitud. ſuae conſiliarios*: hoc non eſt
„uerum, cum nullus conſiliariorum um-
„quam Auentini annales habuerit: uerum
„ego ex meis Auentini ſcriptis (quorum
„multa & uaria adhuc numquam impreſſa
„habeo) Zieglero tradidi. Ad uerba,
quorundam doctorum: „ Doctoris Hundii &
„Chriſtophori Seldii, quamquam & mihi
„primo etiam uidendi tradebantur. Sed
„cum uiderem, multa omitti & nouam

Hiſtoriam

Hiſtoriam (non Auentini) cudi, num-„
quam deinde inſpicere uolui. Ad uerba „
fabuloſas narrationes : ueritas odium parit, „
igitur multa ſunt omiſſa. Ad verba, mul-„
tis vigiliis : & multis „ adpictus eſt can-
tharus, quo quid deſignet Egkhius, facilis
eſt coniectura, ſcilicet Bacho pluſculum li-
taſſe Zieglerum. Poſt haec duas illas Eraſ-
mi epiſtolas ſe Zieglero dediſſe Egkius te-
ſtatur. In uita Auentini, quam confecit
Zieglerus, ſequentia adnotata occurrunt.
Nomen patris Auentini in margine ita ex-
preſſum: *Turnmair.* Ad verba, *heroicum*
carmen ; „hoc Zieglerus in mea Biblio-„
theca uidi manu Auentini ſcriptum. „
Ad verba, *perluſtrauit* : hanc provinciam
ſuſcepit patre meo inſtigante, qui tum
Erneſti principis aulae magiſtrum agebat.
Ad verba, *quam ob cauſam neſcio :* „ob „
commeſſas carnes die (a Papa) interdi-„
cto: ſororis ſuae maritus Hoſpes uir ho-„
neſtus aufugit, & tandem non parua pe-„
cunia numerata ſecuritatem redemit. Ad „
verba, *dimiſſus eſt :* „ Patris mei beneficio „
ad uerba, *quidam* &c. das iſt der Pfaffen „
thun. Ad uerba, *oblectabat* ; Auentinus „
menſem habuit apud conſanguineum „
meum tunc temporis ſupremum urbis „

„Judicem Sebaſtianum de Egkh. Ad uer-
„ba, *Chriſt. Rumel*: is per tredecim annos
„famulum meum egit, tandem pater meus
„illi canonicatum ad D. Mauritium una
„cum parochia praediuiti in Stauff acqui-
„ſiuit. Ad uerba, *quam, ut audio &c.*
„quid ad rem? Ad uerba, *mediocriſtatura*:
„Statura fuit uirili quae mediocrem ex-
„cedit, & toto corpore macilentus. Haec
ſunt, quae Egkio ad Auentinum ejusque
annalium hiſtoriam pertinentia debemus:
reliqua, quibus ipſe textus augetur &
emendatur, ſtrictim ediſſeram: etſi enim il-
la leuioris fortaſſe momenti uidentur, ta-
men ut utiliſſimum hoc opus integritati
ſuae plene reſtituatur, neceſſarium eſſe ea
euulgare arbitratus ſum. In Nomencla-
tura, quae in editione recentiſſima ad cal-
cem operis eſt rejecta, *poſt uocem Bald, ſylva; maiores noſtri*, add. *qui Deum claudere pa-
rietibus nefas putabant.* Lib. I. cap. VI. 4.
edit. Gundling. Ad uerba, *ſpectant Da-
nub.* adſcripſit Egkius, *integra linea tota
eraſa*, L. II. c. XXIIX. n. 12. tenuit, add. *nos
penitus nullam habemus.* Lib. III. in parali-
pom. ad praefationem a Struuio jam l. ſupr. c.
adductis poſt uoc. ſolis, adde, *non*, & poſt, lo-
co &, lege, *ſed*: poſt uerba, ubi ſpes, leg.
pro

pro nunc, *nummi*; poſt uerb. impune, add. *fides frangitur, reſp. perditum it, defraudatur princeps*; pro, unice diteſcant, leg. *unus diteſcat*. Sequentia paralipomena ad cap. VIII. n. 8. h. libr. ſecundum Egkhium ita corrigenda: pro inuſſerunt, & labeſecerunt, leg. *inuſſerint, labefecerint*: poſt uerb. profitentur, loco & leg. *at*. poſt uerb. Celtis, add. *bisque inde cum Gallis ab Hiſpaniae regibus*, loco ceterum, leg. ueterumque. Poſt uerb. Mediolanenſi, add. *atque ſuperiori*. Poſt uerb. Comum. add. *lanium*. loco *Ficinum* leg. *Ticinum*. loco: Genarum leg. *Beuarumque*. poſt uoc. ſceleſtius, add. *nullumque crimen auaritiae eſſe*, plura non adſcripſit Egkius. cap. XIIII. n. 32. loco, utuntur, leg. utebantur, cenſebant. eod. n. 45. poſt uerb. turbae, add. quid machinari. Quae Struuius ad cap. XXII. n. 25. exhibet, in meo exemplo deſunt, dubito ergo propemodum, illa uerba Auentini eſſe; aut ſaltem ad hunc locum non pertinent. In praefatione ad lib. V. n. 2. poſt uerb. euertuntur, add. *ſub ſpecie quidem uirtutum graſſantur, lites, ſimultates, odia, bella generant, odia coedes perpetrant*; ibid. n. 8. ita leg. ſeruant uirgines, quod non *erubeſcant, ſi dominae uo-*

centur uel appellentur. Lib. VI. in praef. n. 7. poſt uerb. ſteterit, add. *rationem actorum expoſcit.* Lib. VII. cap. I. n. 2. poſt uerb. quaerenda ſunt, add. *plus iuſto huiuscemodi genus hominum meticuloſum eſt, timent ubi nihil opus eſt, cum metus maximus decet, nimis leti, nimis alacres geſtiunt. Intus lanei, foras linei ſunt. Sed alia proſequor.* Eod. libr. cap. II. n. 25. poſt uerb. retulit. add. *Pagani uirtutum monumenta uenerantur, legulei Theologiſtae Grammaticuli & Sophiſtae pecuniae duntaxat atque litibus ſtudent, ambitione perditi per praeceps abeunt, quos magno reip. prophanae, ſacrae incommodo alimus atque periculo noſtro paſcimus, uix iam impendiis ſufficimus.*

VI.

VI.

DISSERTATIO PRIMA DE LIBRIS PUBLICA AUCTORITATE COMBUSTIS.

Præfatio.

PRomiſſa tandem perfecturus, primam oculis Tuis ſubjicio Diſſertationem de Libris, quos Magiſtratus imperio funeſta hauſit flamma, alteram vero ſequenti faſciculo reſervo. Enarrabo in iis hujus notæ libros, nondum recenſitos à Celeberrimo Andrea Weſtphalo, Gryphicæ Academiæ Profeſſore præclare merito, cujus veſtigia, impari licet greſſu, in iſthoc argumento lego. Is A. 1709. & 1710. Sedini duas de ejusmodi operibus epiſtolas ad fratrem Chriſtianum Weſtphalum ſcriptas in forma octuplici vulgavit, annoque dein 1713. ſingulari & erudita Diſſertatione Gryphiswaldiæ luci expoſita non ea ſolum iterato enumeravit, verum etiam longe plura, imo integram centuriam. Quum autem illa rariſſime ſit obvia, & vix am-

plius haberi queat, operæ me pretium facturum reor, si inde in Lectorum meorum gratiam enotavero breviter libros, de quibus Vir Præstantissimus commentatus est. Sunt vero sequentes. 1. Æternum Evangelium, seculo duodecimo scriptum. 2. Petri Abælardi Opus de Theologia. 3. Josephi Acostæ Historia naturalis & moralis Indiarum. 4. Alcoranus. 5. quidam Archeri liber. 6. Aristotelis libri Physici & Metaphysici. 7. Arii scripta. 8. Jo. Asgill de immortalitate hominis. 9. D'Aubigné Historia Gallicana. 10. Cæsaris Baronii Annalium Ecclesiasticorum Tomus XI. 11. Josuæ Schwartzii Index novitatum, &c. contra Pufendorfium a Nicol. Beckmanno editus. 12. Pseudonymorum duorum scripta de controversia inter D. Muhlium & D. Schwartzium de Sabbatho agitata. 13. Jacobi Boëtii quædam. 14. Richardi Baxteri Respublica Sancta. 15. Jo. Boucher de justa Henrici III. Depositione & IX. Conciones. 16. Stephani Junii Bruti Vindiciæ contra tyrannos. 17. Martini Buceri & Pauli Fagii opera. 18. Antoniæ Burignoniæ varia. 19. Arthuri Burii Thenaked Gospel. 20. Isaaci Casauboni Epistolæ. 21. Catechismus Racovienſis.

22.

22. Anonymi Catechismus Calvinianus. 23. Chriſtiani Catholici *Kurzer Beweistum, daſs die Lutheriſche, Calviniſche und Zwingliſche Religion nichts anders ſey, als ein von vielen faulen ſtückenden ketzeriſchen Lappen und Lumpen zuſammen geflickter Bettel- oder Regen-Mantel*, &c. 25. Chriſtiani Democriti *Unpartheyiſche Gedancken*, &c. contra D. J. F. Mayeri *kurtzen Bericht von Pietiſten.* 26. Marci Antonii de Dominis Opera. 27. Jo. Am. Comenii Lux in tenebris. 28. Georgii Enjedini Explicatio locorum V. & N. T. ex quibus Trinitatis dogma ſtabiliri ſolet. 29. Seb. Edzardi Diſſ. de Fugienda unione cum hodiernis Reformatis. 30. Bartholdi Feindii quædam. 31. Gilb. Genebrard. de Sacrarum electionum jure ad Eccleſiæ Gallicanæ redintegrationem. 32. Ejusdem de juſta Reip. Chriſtianæ in Reges impios & hæreticos auctoritate liber. 33. Valent. Gentilis ſcripta. 34. Dav. Georgii opera. 35. Gabr. Gerberonii Brevis Catholicorum Belgarum Inſtitutio de Lectione Scripturæ, qua libellus Epiſcopi Caſtorienſis eandem Laicis concedens defenditur. 36. Godeſchalki ſcripta. 37. Ignatii Chriſtoph. de Guarient Diarium itineris in Moſcoviam. 38. Thomæ Hobbeſii

script. 39. Humphry Test Sacramental. 40. Jo. Hussi opera. 41. Casimiri Liszynskii scriptum quoddam. 42. Jo. Lyseri scripta de Polygamia. 43. T. Livii Historia. 44. Mart. Lutheri opera. 45. Phil. Melanchthonis Loci communes theologici. 46. Manichæorum libri. 47. Jo. Baptistæ Galli Notationes in Jac. Aug. Thuani Historiarum libros. 48. Jo. Marianæ de Rege & Regis institutione opus. 49. Jo. Milroni pro Populo Anglicano defensio contra Claudii Salmasii Defensionem regiam. 50. Mich. Molinosii scripta. 51. Ludov. Montaltii Literæ provinciales de morali & politica Jesuitarum disciplina. 52. Alithophili vel Claudii Bartholomæi Monsoti veritatis lachrymæ seu Euphormionis Lusinini Continuatio. 53. Philippi Mornæi liber de Eucharistia, ejusdemque usu & abusu. 54. Jo. Musleri scripta. 55. Guil. Occami scripta 56. Bernardini Ochini Dialogi. 57. Aonii Palearii opera. 58. Davidis Parei Commentarius in Epistolam ad Romanos. 59. Jo. Reinhardi Patkul quædam. 60. Jo. Petiti Justificatio Ducis Burgundiæ. 61. Is. Peyrerii Systema theologicum ex Præ-Adamitarum hypothesi. 62. Photii lucubrationes. 63. Porphyrii

phyrii Libri XV. contra Chriſtianam Religionem. 64. Protagoræ Libri. 65. Multa Quakerorum ſcripta. 66. Paſchaſii Quesnelli varia. 67. Jo. Reichlini Speculum oculare. 68. Talmud aliique libri Judaici. 69. Hugonis Sorelli Roſerii libellus de poteſtate Principis. 70. Santarelli de ſummi Pontificis poteſtate opus. 71. Caſp. Sciopii quædam. 72. Reginaldi Scoti Defectiones artis magicæ, qua omnem omnino magiam ſeptem argumentis impugnare propoſuit. 73. Multi libri Magici. 74. Adolphi Schulkenii Apologia. 75. Caſp. Schwenckfeldii opera. 76. 77. 78. 79. Jonæ Slichtingii aliorumque Socinianorum ſcripta. 80. Mich. Serveti Libri VII. de Trinitatis erroribus. 81. Stoſſii Concordia rationis & fidei, ſive harmonia philoſophiæ moralis & religionis Chriſtianæ. 82. Franciſci Suarezii Defenſio fidei Catholicæ & Apoſtolicæ adverſus Anglicanæ Sectæ errores. 83. Theophili Satiræ. 84. Chriſt. Thomaſii *Monaths-Geſpräche.* 85. Jo. Tolandi Chriſtianiſmus Myſterii expers. 86. Julii Cæſaris Vanini de admirandis Naturæ arcanis Liber. 87. Godofr. de la Vallée La Beatitude des Chreſtiens. 88. M. Terentii Varronis opera. 89. Jo. Volkelii de vera

Religione Libri V. 90. Conr. Vorstii Opus de Deo seu Disputationes X. de natura & attributis DEI. 91. Valentini Weigelii Opera. 92. Jo. Wesaliæ scripta. 93. Jo. Wiclefi Opera. 94. Wilh. de S. Amore tractatus de periculis novissimorum temporum. 95. Liber de tribus Impostoribus lucri causa confictus. 96. De Christianismo & vita Jesuitarum. 97. Liturgia Anglicana. 98. Libellus contra jura urbis Monasterienſis in favorem Bernhardi Episcopi editus. 99. Apologia pro Valeriano Magno Capucino. 100. *Freudiges Zujauchzen der Horbianer in Hamburg.* Mihi ex opima hac segete ad spicilegium relictam stipulam legere, aliosque illius generis libros secundum literarum ordinem enarrare animus est, iis, qui ἀνονυμως, editi sunt; ac de quorum auctoribus non constat, ad calcem rejectis.

I. Pri-

I.

PRimò loco nobis commemorandus eſt ALDEBERTUS A. DCCXLV. in Concilio Romano a Zacharia I. P. M. damnatus. Is præter alia quædam abſona commentitus eſſe fertur epiſtolam, eamque a Salvatore noſtro ſcriptam, ac Hieroſolymis cœlo delapſam finxiſſe. Hanc cum aliis ejus ſcriptis igni adjudicavit Carolomannus ita ſanciens: *Pſeudographæ & dubiæ narrationes, vel quæ omnino contra Catholicam fidem ſunt, ut epiſtola peſſima & falſiſſima, quam transacto anno dicebant aliqui errantes, & in errorem mittentes, quod de cœlo cecidiſſet, nec credantur, nec legantur, ſed comburantur, ne in errorem pro tali ſcripto populus mittatur: ſed ſoli Canonici libri & Catholici tractatus, & ſanctorum auctoritates & dicta legantur & tradantur (a).* Eandem de iis ſententiam tulerunt Epiſcopi & Presbyteri in Synodo Romana congregati, quæ tamen diſplicuit Zachariæ Pontifici, ea quidem damnanti, verum non flammis, ſed per-

(a) Lib. 1. Leg. Franc. Cap. 78.

perpetuis carceribus, Ecclesiæ scilicet scriniis asservanda tradenti (*b*).

II.

Superioris sæculo NATALIS ALEXANDRI, celebris e familia Dominicana Monachi, opera ad feralem rogum ablegavit Innocentius XI. P. M. peculiari edicto, A. M DC LXXXIV. d. 10. Jul. dato, (*c*) ejus *Selecta Historiæ Ecclesiasticæ ad decimum tertium Sæculum tum productæ Capita, & in loca ejusdem insignia Dissertationes historicas, chronologicas, criticas, & dogmaticas, Summam S. Thomæ vindicatam, Dissertationum Ecclesiasticarum triadem, Dissertationem polemicam de confessione sacramentali, & contra Launoianas circa Simoniam observationes Animadversionem* re-

(*b*) Vid. ejus epistolam ad Bonifacium, quam cum aliis in sua Conciliorum editione exhibuit Severinus Binius Tom. V. f. 487. ubi etiam f. 499. sqq. extant Acta Concilii Romani contra Aldebertum & Clementem hæreticos celebrati. Sunt vero, qui utrumque defendunt, ac testibus veritatis, qui Monachis & propagatæ per hos superstitioni se opposuerunt, accensent: inter quos Frid. Spanhemius in Introd. in H. E.

(*c*) Exhibet istud B. Vejelius in Dissert. Isagogica in Selecta Historiæ Eccles. Capita Natalis Alexandri p. 248. sqq.

reprobans, eorumque librorum retentionem, impreſſionem, deſcriptionem, lectionem, & uſum omnibus ſub pœna excommunicationis per contra facientes ipſo facto absque alia Declaratione incurrenda, a qua nemo a quoquam, præterquam ab ipſo Pontifice, niſi in mortis articulo conſtitutus abſolutionis beneficium valeat obtinere, non omnino tantum prohibens, verum etiam cuncta illorum exempla flammis aboleri jubens. Nimirum hic Auctor in Hiſtoria Eccleſiaſtica, obſervante B. Elia Vejelio (*d*), maſculæ eruditionis & ſummorum in puriorem Eccleſiam meritorum Theologo, & fortaſſis quoque in aliis, placere non potuit Pontifici & ejus aſſentatoribus, ob cenſuram ridigius nonnunquam in SS. Patres exercitam, ob inſultationes, quibus Scriptores Papæos, & numero multos, & fama magnos, imo integros religioſorum examinum ordines exagitat, ob nimias Eccleſiæ Gallicanæ & Academiæ Pariſienſis laudes, & denique ob ſeveram Paparum ipſorum & Dogmatum papalium reprehenſionem. Mirum vero, iſtud opus antea ab eodem Innocentio perbenigne fuiſſe exceptum, atque ſingu-

(*d*) l. c. p. 2. ſq.

singulari epistola, a Cardin. Cibo ejus nomine ac mandato scripta d. 15. Jul. A. 1682. approbatum, his verbis: *Ea occasione ostendit Sanctitas sua, præclare se de tua pietate & catholicæ fidei zelo sentire, sibique perspectum esse, non defuisse te occasionibus reipsa declarandi, quam constanter sanctissimi Ordinis tui placitis tum in disciplina, tum in Doctrina adhæreas, ubi præsertim de hujus sanctæ Sedis auctoritate & dignitate agatur. Injunxit autem mihi Sanctitas sua, ut paternæ suæ erga te benevolentiæ testem apostolicam benedictionem tibi pontificiis verbis amanter elargirer.* Immitis vero & instabilis animi Patrem, qui biennio post eodem mense recurrente, quæ antea dilaudaverat, atrociter proscripta atque infami rogo injecta voluit! Legitur ea epistola post præfationem generalem, novæ illius historiæ editioni, quæ non obstante interdicto pontificio Parisiis A. MDCXCIX. octo majoris formæ voluminibus cum privilegio Regis prodiit, præmissam. Comparent in ea etiam suis locis cum Alexandri responsionibus Romanorum Censorum notæ criticæ, haud raro (*e*) ipso frigore fri-

(*e*) Recte ita judicante S. R. Weismanno in Notitia Auctorum Memorabil. Hist. Eccles. Tom. I. præmissa p. 21.

frigidiores, ipſaque ſtipula leviores, unde facillime diffiari potuerunt. In iis ſibi tribui plurima a verbis plerumque ſuis & mente plane aliena, multa per ſe innoxia reprehendi, quæ hiſtorice duntaxat tractaverit ac retulerit, perſæpe acerbis criminationibus impeti, quaſi aſſerta eſſent ut dogmata inconcuſſa fide ab omnibus tenenda, nonnulla denique ſibi affingi contra debitam ſedi Romanæ obſervantiam, Auctor conqueritur. Benedictum vero XIII. modernum Pontificem, pro eo, quo Dominici Ordinem complectitur, amore Alexandri noſtri libris ſuum reſtituiſſe honorem, eosque e prohibitorum numero exemiſſe ajunt.

III.

AGRIPPÆ D'AUBIGNE Hoſtoriam rerum ab A. MD. ad MDCX. in Gallia geſtarum nimis libere ſcriptam a Parlamento Pariſienſi ad ignes fuiſſe damnatam, obſervavit jam Cel. Weſtphalus (*f*). Addimus nos, eandem fati inclementiam ſuſtinuiſſe *Les Tragiques ci-devant donnez au Public par le Larcin de Promethée, & depuis avouez & enrichis par le Sr. Daubigné*

(*f*) l. c. p. 15.

bigné divisez en sept livres intutelez les miseres, Princes, chambre dorée, les feux, les fers, vengeances, jugement. De hoc enim opere in Catalogo Bibliothecæ instructissimæ Marchionis S. Philippi A. 1726. Hagæ Comitum in 8. excuso (*g*) hæc notantur : *Ce livre à été brulé en son tems & est devenu très rare par consequent ; il contient tous les funestes evenements arriées sous Henry III. & IV. pour causes de Religion.*

IV.

ANTONII BONONIÆ BECCADELLI, vulgo Antonii Panormitæ, spurcum poema, *Hermaphroditi* titulo insignitum, ipsique Jo. Franc. Poggio obscœnitatum magistro improbatum (*h*) Bononiæ, Ferraræ & Mediolani Bernardinum Senensem & Robertum Licium, famigeratissimos sui ævi concionatores, postquam prius contra auctorem graviter declamavissent, publice, annuente populo, combussisse testis est Bernardus de la Monnoye (*i*).

V. — XI.

(*g*) Part. III. p. 317.

(*h*) Vide, si placet, quæ de eo diximus Tom. V. p. 3.

(*i*) In Diss. sur la fameuse Epigramme Latine de l'Hermaphrodite. p. 329. Tom. IV. Menagian.

V. — XI.

Impurarum hujuscemodi ſchedarum cineres, boni credo, omnes ſiccis intuebuntur oculis, at ipſa SACRA BIBLIA, ſanctiſſima ſupremi Numinis oracula, condemnari, proſcribi, ſubjecta exuri flamma, quis æquo feret animo? Execrabilia quidem hominum monſtra, Antiochos & Diocletianos, fidelium cæde madentes, tantum nefas fuiſſe auſos, nemo forte mirabitur, ſed inter ipſos Chriſtianos hoc deteſtandæ ſævitiæ genus haud prorſus inuſitatum eſſe, omnem fidem ſuperare videtur. Ita tamen eſt. Nec diſſona vero ſunt verba Iſaaci Caſauboni (*k*): *Veteres cogebant unumquemque, ut libros ſacros domi aſſidue legeret, qui nunc ſub anathematis pœna vetantur attingi ſine venia, adeo, ut inter libros prohibitos primum locum libri ſacri, & a Deo profecti, horrendum dictu, teneant.* Diximus in ſecunda obſervatione, p. 344. permultas editiones Biblicas in indice Pauli IV. damnatis libris nominatim accenſeri, rati tum, in poſterioribus ejusmodi Catalogis ſpecialem iſtam enarrationem non repeti ſed ge-

(*k*) In Epiſtol. p. 931. editionis Græviana.

neratim duntaxat tam Biblia Hæreticorum opera impressa, quam vulgari quocunque idiomate conscripta prohiberi. Sed vidimus posthac, in Indice Bernardi de Sandoval longe plures editiones Biblicas distincte inter libros prohibitos referri. Quid quod ulterius etiam processum est. Ad carnificem & contumelioſos ignes plus simplici vice variis in regionibus ablegata fuerunt veneranda divinorum mysteriorum volumina. Unde haud abs re Benedictus Turretinus magni nominis Theologus quondam Genevensis, in querulas has erupit voces *(l)*: *Vah! ita Christianum concerpi nomen, & verbi divini monumenta cum Scriptoribus ipsis ardentibus rogis addici! Sacratissimum ipsum veritatis divinæ codicem, si lingua populari conscriptus circumfertur, incendiis devovere moris est. Neque enim de his dici potest, quod Augustinus in Psal.* 21. *de adversariis, qui se a flamma codicem sacrum servasse gloriabantur: Quid servasti a flamma, quod delere vis lingua? Nam isti sacrorum librorum traditoribus illis adeo toti Antiquitati merito exosis eo sunt deteriores,*

(*l*) In præfatione editioni Indicis librorum prob. & expurg. Sandovaliani Genevensi præmissa p. 3. sq.

res, quod & flammis tradant, & lingua deleant. Quod enim olim Pius IV. Regula 4. consilio parochi permisisse videbatur, ut Bibliorum versorum lectio quibusdam concederetur, nunc Clementis VIII. observatione, quæ negat, ullam Episcopis vel Inquisitoribus hoc concedendi potestatem fieri, imo illam iis jam ante sublatam fuisse, & Inquisitorum jussu revocatum esse videmus. Alia ratio non prætexitur, nec utrum blasphemiis aut hæresibus liber infarctus, quod nonnulli, ut rudioribus imponant, vociferantur: sed utrum Italicus, Hispanicusve sit, dispicitur. Christo fraudi est, si populariter loquatur! Scriptura periclitatur, nisi Latine loquitur. Nec quod aliis, huic occinitur, Dele, Corrige, Caute lege: sed, horreo, ure, seca. Misericordiæ erga Dei librum locus nullus est. Evangelium Italico vel Hispanico idiomate exaratum peste citius homines fugiunt. Quo miseri? Quid tantopere extime scitis? Patris testamentum, verba vitæ. O miseros, qui lucem fugiunt, vitam horrent, cibum calcant. Explorate, indagate, inquirite sagacissime, excutite, venatici Patres, penitissime libros transalpinos, si quæ latent Biblia, si hymni Davidis, si Novi Testamenti tabulæ, non secus ac si telum veste latens, vel venenum in poculo propinandum. Ea prin-

ceps cura vobis est, Christum arcere. Imo, quod mireris, præclare se ista crudelitate de orbe Christiano mereri opinantur homines excœcati. Quam insaniam ne iis contra jus affingere videar, accipe ipsa verba Jacobi Gretseri, Viri non indocti, nec incelebris, sed ferociſſimi (*m*): *Qui Biblia Zwingliana & Lutherana flammis tradit, is non magis aliquo crimine se obstringit, quam Ephesii, qui libros curiosarum artium Vulcano corrigendos & excudendos tradiderunt.* — (*n*) *Biblia Lutherana & Calviniana non expurgantur spongia & stylo, sed flamma & rogo. Nec opus alio indice.* — (*o*) *Quando* Biblia Lutheranorum &c.) *comburuntur, non comburuntur germani illi & genuini Prophetæ, sed umbræ quædam & larvæ pulchro Prophetarum nomine velatæ. Neque dubito, ipsos Prophetas & Evangelistas, si nobiscum in terris viverent, primos futuros, qui versiones Lutheri, & id genus aliorum in ignem conjicerent, negantes scripta illa sua esse.* — *Lutherana Biblia non magis timet Diabolus, quam seipsum, aut*

(*m*) In Præf. operis de jure & more probibendi libros noxios.

(*n*) Lib. II. operis citati. p. 326.

(*o*) l. c. p. 377.

aut ſocios pœnæ alios diabolos. Gretſerum imitatus Vitus Erbermannus, Apoſtata maledicentiſſimus, Biblia Erneſtina ſive Vinarienſia digna, quæ cum Auctoribus ſuis in favillas verterentur, judicavit (p). Neque hodienum licet plures jam in Romano cœtu moderatiores dari lætus fatear, omnes mitiorem fovent ſententiam. Exemplo eſſe poteſt ex Dominici Ordine Vir ferrei oris, P. Euſtachius Eiſenhut, qui afferere non dubitavit, Lutheranorum Biblia infami rogo digniora eſſe ipſis laſcivis Ovidii carminibus, quod hæc moribus ſolum, illa etiam fidei maxime noceant, ideo, prouti merebatur, exceptus atque depexus a Jo. Guil. Montgallo, vel, qui ſub eo nomine latere voluit J. G. Hobbhanio (q). Eiſenhutio comes dandus homo mordaciſſimus, nullique facile in conviciandi libidine & canina dicacitate ſecundus, Jo. Nic. Weislinger, ita (qq) de Bibliis noſtris judicans: *Die Bibeln, ſo man uncatholiſcher Seits für GOttes Wort ausrufft, ſeynd falſche, ungottliche, Feurs-*

(p) Vid. Weismanni Memorab. H. E. T. II. pag. 375.

(q) In Theologiſcher Correſpondenz. Part. I. p. 124. ſq.

(qq) In *Friſs Vogel oder ſtirb.* Part. I. p. 45. & 462.

würdige Schrifften. — Luthers Bibel iſt ſo greulich verfälſcht, daſs es zu erbarmen, wie doch die edle Teutſche ſolch Jammer-Weſen nicht läugſt geſehen, und das Ketzer-Buch dem Meiſter Hanſen überliefert, daſs ers ſo lang purgirt und verbeſſert, biſs es zu Aſchen verbrennt geweſen, dann mehr iſtes nicht werth. — — — Mit der Zwingliſchen Bibel ſtehts um kein Pfifferling beſſer, als mit der Lutheriſchen, es iſt halt vier paar Hoſen eins Tuchs. Ita vero pronunciaſſent egregii hi Viri de multis e ſuo cœtu Moraliſtis & Caſiſtis, quos vocant, ac præcipue de Thomæ Sanchez Diſputationibus de ſancto Matrimonii Sacramento (*r*), neminem, cui caſtitas curæ cor-

(*r*) Facilè ipſi Sanchez fidem adhibeo, in dedicatione ad Petrum de Caſtro Quinones Archiepiſcopum Granatenſem aſſerenti, ſe *inſita naturæ propenſione impulſum*, & *ſciendi cupiditate inflammatum* eas per multos annos aſſiduis laboribus congeſſiſſe: ſed impetrare a me non poſſum, ut eum caſtitatis pudorisque tenacem fuiſſe credam, licet hoc nobis Jo. Crombecius in libro de ſtudio perfectionis, e quo excerpta Sancheziani operis editioni Antwerpienſi A. MDCXXVI. præmiſſa ſunt, perſuadere omni ſtudio conetur, reliquas etiam ejus virtutes ita prædicans, ut parum abſit, quin ſanctiſſimorum in cenſum referendus videatur. Valet hic illud Mureti:

Raro moribus exprimit Catonem,
Quisquis verſibus exprimit Catullum.

cordique eſt, refraganrem habituros eſſe perſuaſus ſum. Sed ne extra oleas vager, recenſebo jam quasdam editiones Biblicas, rogo addictas,

Anno MDXXIX. ANGLICÆ VERSIONIS NOVI TESTAMENTI, a Guil. Tindalo confectæ, & Antwerpiæ, uti videtur, excuſæ, multa exemplaria, a Tonſtallo Londinenſi Epiſcopo, e legatione Camberacana

Cui opus illud inſpicere datum eſt, haud invitus in ſententiam ibit nonneminis, id VERAM VENERIS BIBLIOTHECAM nuncupantis vid. Bail. Diction. Tom. IV. f. 3118. ſq. Recte profecto de illo inter cætera ſic judicant Doctores Sorbonici in Vindiciis cenſuræ a Petro Aurelio editis: *De illo opere Matrimoniali ſpeciatim dicere poſſumus, eſſe opus non gloriandum, ſed pudendum; tam immani curioſitate, tam inviſa in rebus ſpurciſſimis & infandis & monſtroſis & diabolicis perſcrutandis ſagacitate horrendum, ut mirum ſit pudoris alicujus hominem ea ſine rubore ſcripſiſſe, quæ quivis modeſtioris ingenii vix ſine rubore legat. Portenta iſta ſunt, non ſcripta, animorum inſidiæ, non mentium ſubſidia, incentiva libidinum, ſchola flagitiorum, non honeſtæ diſciplinæ, non ſcientiæ Chriſtianæ inſtrumenta. Infelix ſcientia, quæ omnes perdere, paucos juvare nata eſt &c.* conf. B. Ad. Rechenbergii Diſſ. de Libris obſcœnis §. 7. ſqq. Interim tamen Jeſuitæ aliique ſpurcum iſtud opus eximiis decorant laudibus. Biblia proſcribuntur, carnificique ac Vulcano traduntur: hoc commendatur, nec inter prohibitos refertur niſi hac conditione, usque dum in eo reſtituatur numerus 4. Diſputationis VII. Libri VIII. vid. Clementis XI. Indic. Librorum Prohib. p. 493. edit. Rom. 1711.

reduce, in Angliam delata, publice in foro combusta fuisse narrat Gilbertus Burnetus (*s*), id non sine populi indignatione factum esse addens. *Adeo*, inquit, *odiosum censebatur verbum Dei comburere, ut vulgus inde collegerit, immane discrimen esse inter librum istum & doctrinam eorum, qui hoc pacto cum illo agunt: hinc odium erga Clericos, & desiderium legendi Novum Testamentum magis fuit auctum.* Tindalo dein in Belgio exusto integram Bibliorum versionem Anglicam sumptibus Graftoni mercatoris edidisse dicitur Jo. Roger, sub Thomæ Matthæi nomine delitescens, quæ cum gaudio excepta fuit. Quum vero idem Grafton aliam in forma majori editionem curaturus a Galliæ Rege impetrasset, ut Parisiis id fieri liceret, Matthæus Ory Generalis Inquisitor opus prohibuit, eaque, quæ jam absoluta erat, vel igne cremata fuerunt, vel pro sehedis sparsim divendita (*t*). Circa A.

(*s*) In Historia Reform. Anglicanæ T. I. f. 93. edit Genev.

(*t*) Vid. Acta Eruditor. An. 1694. p. 319. conf. le Long Biblioth. S. T. I. f. 428. add. Placc. Theatr. Anon. f. 509. Ovidii Metamorphoses, figuris ornatas, pro Anglorum Bibliis habitas & publice exustas esse retuli Tom. V. p. 43.

A. MDCXXX. in Bohemia variis in locis plurima BIBLIORM BOHEMICORUM exemplaria Vulcano conſecrata eſſe, memoratur in Martyrologio Bohemico, Germanice reddito p. 605. ſqq.

Eandem fortunam ſubiiſſe BIBLIA GALLICANA, docet perſonatus Euſebius Philadelphus Coſmopolita (*u*) his verbis: *Quum lux Evangelica tum voce tum ſcriptis Lutheri, Buceri, Zwinglii, Oecolampadii, Melanchthonis & aliorum doctorum hominum cœpiſſet illuſtrari & quaſi denuo patefieri, Papa quemadmodum in Germania ſuis technis, copiis etiam & viribus Caroli V. ſic in Gallia quoque ope Franciſci primi his cœptis naviter obſtitit, & curſum hunc flamma ſiſtere decrevit. Itaque*

(*u*) In Dialog. I. p. 4. edit. Edimburg. 1574. quæ duos dialogos in Gallorum & vicinarum Nationum gratiam compoſitos exhibet. Rariſſimi hujus libri notitiam non ita pridem dedit Cl. Colerus in Anthol. Tom. I. Faſc. IV. p. 293. Inter meas reculas non ea tantum editio extat, ſed & prior, primum modo dialogum continens, huncque gerens titulum: *Dialogus, quo multa, exponuntur, quæ Lutheranis & Hugenotis Gallis acciderunt. Nonnulla item ſcitiu digna & ſalutaria conſilia adjecta ſunt. Oragnie. excudebat Adamus de Monte.* M. D. LXXIII. in 8. Huic editioni præmiſſa ſunt nonnulla, quæ in altera deſiderantur, de quibus fortaſſis alias.

Senatus consulta & decreta fieri curavit, ex quibus non modo libros Veteris & Novi Testamenti, unde hæc doctrina hauriebatur, in Gallicam aut aliam vulgatam linguam conversos, sed eos etiam omnes, qui hujusmodi libros tuerentur, quos tum Lutheranos appellabant, in ignem conjici oportebat. - - Mortuo Francisco eadem sævitia usus est Henricus, qui illi in regnum successit. Quo regni summam tenente, non libri solum, & ipsi Lutherani flammis consumebantur, verum etiam bonis illorum legitimi hæredes spoliabantur, &c.

Neque nostra GERMANIA ab hoc sævitiæ genere immunis est. Ferdinandum enim, Georgium Saxonem, Bavariæ Ducem aliosque legibus & edictis publicis LUTHERI VERSIONEM comburi mandasse, & magnis mulctis indictis subditos omnes coëgisse, ut quæcunque libri exempla haberent, Magistratibus ad id constitutis traderent, memorat Ludovicus Maimburgius (*x*).

Sæculo jam XIII. HISPANICAM vel CASTELLANAM potius Sacri Codicis VERSIONEM flammis adjudicatam fuisse, ex hoc Jacobi I. Arragoniæ Regis, qui A. MCCLXXVI.

(*x*) In Historia Lutheranismi L. I. Sect. 52. p. 206. edit. Seckendorf.

MCCLXXVI. obiit, edicto (*y*) patet: *Statuimus, ne aliquis libros Veteris vel Novi Teſtamenti in Romancio habeat; & ſi aliquis habeat — tradat eos loci Epiſcopo comburendos, quod niſi fecerit, ſive Clericus fuerit, ſive Laicus, tanquam ſuſpectus de hæreſi — habeatur.* Poſthac quoque Hiſpaniæ Rex Ferdinandus & ejus Conjux Eliſabetha aliique ſub graviſſimis pœnis Hiſpanicarum divinæ Scripturæ verſionum uſum prohibuerunt. Fuit tamen ex Hiſpanis quidam Vir eruditus, qui librorum ſacrorum in vernaculum idioma translationem maſcule & multis rationibus oppido gravibus, publico ſcripto comprehenſis, defendere auſus eſt, Fridericus nempe Furius Cæriolanus Valentinus. Opus hoc inſignitur titulo: *Bononia* (*z*), *ſive de Libris ſacris in vernaculam linguam convertendis Libri duo ad Franciſcum Bovadillium Mendozium, Cardinalem Burgenſem*, excuſus Baſiliæ per Joannem Oporinum A. MDLVI. in 8. Quibus Hiſpanorum, ea

(*y*) Quod adducit Carolus du Freſne Dn. du Cange in Tom. III. Gloſſarii Latini ad verbum *Romancium*. conf. Long. Biblioth. S. T. I. f. 361.

(*z*) Hunc operi titulum indidit Furius, quod ſermones cum Bononia Rectore tum Lovanienſi eo de argumento habitos contineat.

ea præsertim ætate, pro Romana Religione zelus compertus est, facile auctori inde haud paucas fuisse (*a*) enatas molestias augurabuntur, de quibus ipse librum in limine ita conquerentem inducit:

Magne Mendozi, referamne torvos
Hostium vultus, mihi qui cruento
Ense tergus dilacerant maligne, &
Viscera nudant?
Eloquar: Scribæ, Pharisæi, Judas,
Cajaphas, Pilatus, & omnis orbis
Judæorum perdere me laborant
Arte dolosa.
Hei mihi, eheu quam premor, urgeorque
Innocens, succurre Pater, mihique
Fer, rogo te, suppetias, opemque
Ocyus aura.

Nihilominus auctor deinde, quod mireris, in aula Philippi II. vehementissimi Romanorum sacrorum propugnatoris, ad vitæ usque finem magna polluit gratia: qua occasione noto, minus recte illum a Longio (*b*) Protestantibus accensèri.

A.

(*a*) Vid. Thuan. Histor. Lib. CIV. f. 486. add. Bail. Diction. Tom. II. f. 1230.

(*b*) In Biblioth. S. T. I. f. 292.

A. MDLXIII. Breſtæ Lithuanorum cura & ſumptibus Nicolai Radzvilii, Ducis in Olika & Nesvez, Palatini Vilnenſis typis exſcripta fuerunt BIBLIA POLONICA, verum mox malitia adverſariorum coëmta, atque Vulcano tradita, quod fatum etiam ſubiit Novum Teſtamentum, Henrici Strobandi impenſis in eccleſiarum Polonicarum uſum impreſſum (*c*).

Non ignoro, multos hodie Viros pios & eruditos e Pontificiis, in Gallia cumprimis, (quod ex controverſia Quesnelliana conſtat) hanc atrocitatem improbare, & ſacrarum literarum in lingua vernacula lectionem magnopere omnibus commendare: at hoc etiam novi, haud deeſſe noſtro ævo, quibus illa prioris ætatis ſeveritas maxime placeret, ſi res ſemper eorum arbitrio relicta foret. Nec dubito, multos eſſe, qui iſta immanitate inſigne ſe operæ pretium facturos ſibi perſuaderent. Laudarent hi utroque pollice, quod in vita Thereſæ de JEſu (*d*) inter reliqua ejus ſanctitatis documenta refertur: *Ægre ferebat, quod ſuæ Moniales*

(*c*) Vid. Melch. Adami in Vitt. JCtorum p. 311. ſq.
(*d*) P. 86, vid. El. Ehingeri Sæcul. XV. Hiſtor. Eccleſ. p. 3.

les abstrusa DEI mysteria, vel alias curiositates, quæ ad mulieres non pertinent, indagarent. Cum Toleti degeret, puella quædam ab ea religionis habitum efflagitavit, quam cum in religionem admitti decrevisset, dixit puella, habere penes se Biblia, quæ ad Monasterium erat allatura. Confestim a DEI serva exclusa fuit, dicente: Biblia, filia, ne afferas neque huc venias, sumus enim mulieres, quæ præterquam nere nihil aliud scimus. Quæ puellæ repulsa non sine divino instinctu ob nimiam curiositatem a serva DEI fuit facta: nam (ut postea evenit) ob aliquos errores contra fidem habitos a sancto Inquisitionis officio punita fuit.

Sed &, ut in viam redeam, inter Græcos hoc supplicii genere in Sacras Literas sævitum est. Constantinopoli enim A. MDCCIV. in medio aulæ Patriarchalis post anathema Vulcano traditam esse editionem NOVI TESTAMENTI NEO-GRÆCI, a Seraphimo, Hieromonacho Mitylenensi Londini MDCCIII. in 12. curatam refert Alexander Helladius (*e*), infinitis erroribus & anorthographiis eam scatere, editoremque in præ-

(*e*) De Statu præsenti Ecclesiæ Græcæ. Cap. XV. p. 247.

præfatione in Græcorum Epiſcopos absque ulla cauſa acerbe invectum eſſe adjiciens.

XII.

De GEORGIO BOSQUETO hæc habet Bælius (*f*) : *Il compoſa quelques Ouvrages, & un entre autres, qui fut condamne au feu. Ce qu'il compoſa en Latin ſur l'Edict du Roi Henri II. touchant les Mariages contractez par les Enfens de famille au deſceu & contre le vouloir & conſentement de leurs Peres & Meres, fut imprimé à Toulouſe, par Jaques Colomiés, l'an* 1558. *in* 8. *Il publica chez le même en* 1563. *Hugoneorum Hæreticorum Toloſæ conjuratorum Profligatio memoriæ poſita in* 4. *C'eſt à ce dernier Ouvrage, ſi je ne me trompe, que convient ceci : le Roi..... a ordonné & ordonne que le Livre compoſé par un George Boſquet, habitant de la dite ville de Toulouſe, contenant Libelle diffamatoire, ſera brûlé, & défenſes faites à tous Libraires & Imprimeurs de l'imprimer, ne faire imprimer, ne vendre, & à tous de n'en acheter. Ce ſont les paroles d'un Arrêt du Conſeil privé, tenu au Chateau de Vincennes, le* 18. *de Juin* 1563.

XIII.

(*f*) Diction. T. I. f. 616.

XIII.

Eandem sortem in Anglia habuerunt cum Paræi Commentar. in Epistolam ad Romanos & Stephani Junii Bruti Vindiciis contra tyrannos GUILIELMI BUCANI, Theologiæ quondam apud Lausannenses Professoris, *Institutiones theologicæ, seu locorum communium DEI verbo & præstantissimorum Theologorum orthodoxo consensu expositorum analysis.* Non ingratum Lectoribus meis fore arbitror, ejus supplicii causam ex epistola G. R. Doubletii ad Gerh. Jo. Vossium Londino A. 1622. d. 16. Aug. styli veteris data (*g*) cognoscere. Ita autem is: *Habebat Oxonii ante menses circiter tres, aut paulo amplius, concionem juvenis quidam Theologus, & non satis temporum, in quibus vivimus, observans, sed probus alioqui & existimationis bonæ. Hic cum prius generalia quædam proposuisset, ex quibus vereri videbatur nequid religio reformata, ubique fere terrarum nunc concussa, etiam in Anglia detrimenti caperet; tandem eousque deveniebat, ut assereret, in tali casu fas fore subditis, aut saltem infe-*

(*g*) Quæ extat inter Clar. Vir. ad Vossium epistolas edit. August. Vindel. A. 1691. f. 34.

inferioribus Magistratibus, etiam invito & aliud moliente Principe, omnibus modis, atque adeo vel armis, religionem veram ejusque publicum exercitium tueri : addens illustranda theseos sua causa, existimare se, Regem Galliarum, si (dum exercitui Reformatos in urbe aliqua obsidenti interest quotidie) ferro per manum subditi caderet, juste & sine ullo mactationis cri-crimine occisum iri. Quæ verba cum ad Regem nescio qua ratione delata essent, statim eum in vincula conjici, & captivum ad se adduci Rex jubebat, nemine dubitante, quin capite lueret immoderatam linguæ licentiam; sed cum examen super causa institutum esset, juvenis hic (Knight nomine) credidisse se profitebatur, esse hanc communem omnium Reformatorum sententiam, atque ita se a Reformatis Doctoribus esse edoctum, citans Pareum in Commentar. in Ep. ad Rom. Bucanum in locis communibus, & Steph. Jun. Brutum, sive auctorem libri, cui titulus, Vindiciæ contra tyrannos. Excusabat hoc aliquantum juvenem, in theologia tyronem, non absolvebat, plura, quam auctores dixerant, construentem, & hypotheses inde formantem. Itaque ipso in carcere detento, censuræ Academiarum postea traditi fuere prædicti auctores. Ac Oxonienses quidem capita aliquot selecta pro erroneis, fal-

sis, impiis damnans, Parei solum commentarios (b) ad Romanos publice conflagrandos censuit, quod etiam factum, conquisitis, quotquot in officinis Bibliopolarum & Museis studiosorum reperiri poterant, exemplaribus. Cantabrigiensis vero etiam Bucani locos communes & Bruti vindicias publice flammis tradidit, & ipsos auctores — perpetua infamia notavit. — — Videbar ego in Cantabrigiensi Senatus consulto videre plusculum bilis in rigidos istos Genevensis reformationis Professores, sive ea causa sit, quod Puritanorum omne nomen exosum habent, sive quod plerique ibi Remonstrantium sententiæ sunt addictissimi.

XIV.

(*b*) Londini etiam jussu Regis eos fuisse combustos e Gerhardi Brandt Historia Reformationis Belgicæ narrat Michael de la Roche in Memoires literaires de la Grande Bretagne Tom. XIII. p. 410. addens: *Cette Nouvelle s'étant repandue en Hollande, on n'y eut plus la même estime pour le Roi de la Grande Bretagne, que l'on avoit appellé auparavant un second Salomon. Quelques-uns dirent que le Défenseur de la Foi étoit devenu son Ennemi. Jean Kloppenburgh, Ministre d'Amsterdam, parlant du Livre de Pareus, brûle par les mains du Boureau, ne fit pas difficulté de dire, que si le Roi n'étoit point Papiste, il soupçonnoit qu'il étoit Atheiste*

XIV.

In eodem regno quandam GILBERTI BURNETI EPISTOLAM PASTORALEM publica auctoritate combuſtam fuiſſe, e literis Petri Bælii ad Dominum Minutoli Roterod. d. 5. Mart. A. 1693. exaratis (*i*) comperi. In iis enim hæc leguntur: *Mr. l'Eveque de Salisburi n'a pas reçu une petite mortification, en voïant bruler ſa Lettre Paſtorale. Il n'eſt point aimé des Anglois, & l'on dit, que ſes manieres de hauteur lui ont fait beaucoup d'Ennemis. Le ſujet, pour lequel on a brulé ſa Lettre, eſt qu'il parlé de la Révolution d'Angleterre, comme d'une Conquête.*

XV.

In quinto hujus opellæ faſciculo (*k*) Analecta ad hiſtoriam FRANC. JOH. BURRHI dedimus, e quibus patet, non ejus ſolum ſcripta Romæ fuiſſe cremata, verum etiam ipſum in effigie ſuſpenſum flammisque conſumtum (*l*).

(*i*) Vid. Lettres de Mr. Bayle. Tom. II. p. 408. edit. Roterod. 1714.

(*k*) p. 141. ſqq.

(*l*) p. 162. ſq. conf. Bayl. Diction. f. 609. ſq. Tom. I.

XVI.

M. T. CICERONIS ut nunc mentionem faciam, ordo postulat. Ejus *de Natura Deorum* libri ob superstitionem gentilium inibi explosam olim jam Romanis fuisse suspectos adeoque invisos, ut eos publica auctoritate abolendos esse censuerint, ex hoc Arnobii loco (*m*) elucet: *Adduci, hoc ut credamus, non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, & esse partem unam mares, partem esse alteram fœminas. Quem quidem locum plene jam dudum homines pectoris vivi tam Romanis literis explicavere quam Græcis: & ante omnes Tullius Romani disertissimus generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter, & libere, quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit. A quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis, perorata esset & hac causa, nec secundas, ut dicitur, actiones nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, cum sciam esse non paucos, qui aversentur & fugiant libros de hoc ejus,*

(*m*) Lib. III. p. 103. sq.

ejus, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum ſuarum præſumta vincentem? cumque alios audiam muſſitare indignanter, & dicere: oportere ſtatui per Senatum, aboleantur ut hæc ſcripta, quibus Chriſtiana religio comprobetur, & vetuſtatis opprimatur auctoritas? Quinimo ſi fiditis exploratum vos dicere quidquam de Diis veſtris, erroris convincite Ciceronem, temeraria & impia dictitare refellitote, redarguite, reprobate (*n*), *nam intercipere ſcripta, & publicatam velle ſubmergere lectionem, non eſt Deos defendere, ſed veritatis teſtificationem timere.* In Friſia autem Sivardum, Pontificem Friſiorum Ethnicum ſeu Præfectum Druydum, & acerrimum Chriſtianorum hoſtem, qui circa A. 770. vixit, ſcripſitque Hiſtoriam Principum, Ducum & Regum Friſiæ, ac de prohibenda Chriſtianorum doctrina, eos Ciceronis libros tanquam erroneos damnaviſſe, & publice exuſſiſſe e Martino Hamconio de Viris rebusque Friſiæ illuſtribus obſervavit Celeb. Jo. Henr. a Seelen (*o*). Cæterum ob

(*n*) Ita pro *Comprobate* legit Crenius in Animadv. Philol. & Hiſt. P. II. C. I. p. 60. conf. Clar. Falſteri Quæſtiones Roman. ſeu Ideam Hiſtoriæ liter. Roman. p. 242. ſq.

(*o*) In Selectis litterariis. p. 458.

hocce & de divinatione opus Antonius Collinus Ciceronem libere cogitantibus vel Atheis annumerare veritus non est, quem vero ab hac criminatione vindicavit D. Jo. Franc Buddeus, venerandus meus, imo communis fere Germaniæ Præceptor (*p*).

XVII.

JO. CLENDONI *Tractatus philosophicus de persona or a treatise of the word Person*, Londini A. 1710. in 8. typis exscriptus, in quo auctor purum putum Sabellianismum profitetur, ibidem eodem anno d. 5. Martii flammis fuit injectus (*q*).

XVIII.

De CREMUTIO CORDO memoriæ prodidit Tacitus (*r*), scripsisse eum *Annales*, in quibus laudato M. Bruto C. Cassium Romanorum ultimum dixerit: accusatum vero propterea apud Tiberium, primo relin-

(*p*) In Thes. Theolog. de Atheismo & Superstit. Cap. I. p. 99. sq.

(*q*) Vid. *Unschuld. Nachrichten.* A. 1710. p. 250. add. D. C. M. Pfaffii Introd. in Historiam Theol. litter. Part. II. p. 335.

(*r*) Annal. Lib. IV. p. m. 155. sqq.

relinquendæ vitæ certum libere ſuam egiſſe cauſam, dein egreſſum ſenatu vitam abſtinentia finiiſſe: libros autem per Ædiles cremandos cenſuiſſe Patres. Hæc cum retuliſſet Tacitus, addit: *Secordiam eorum invidere libet, qui præſenti potentia credunt extingui poſſe etiam ſequentis ævi memoriam. Nam contra, punitis ingeniis gliſcit auctoritas: neque aliud externi reges, aut qui eadem ſævitia uſi ſunt, niſi dedecus ſibi, atque illis gloriam peperere.*

XIX.

GUIL. COWARDUS, Medicus Londinenſis, A. MDCCIII. *poſteriores cogitationes de anima*, & A. MDCCIV. *Vindicias Rationis ac Religionis contra Philoſophiam* edidit, in quibus ſtatuit, in mundo haud dari alias ſubſtantias, niſi materiales, ſpiritus vero tantum eſſe potentias aliquid agendi: angelos igitur eſſe potentias in ſubtili corpore, animamque hominis potentiam in humano corpore, quæ cum eo moriatur, & in die extremo cum eo reſuſcitetur. Hæc ſcripta non ab Anglicanis duntaxat Theologis fuere confutata, ſed &

jussu Parlamenti publice per carnificem combusta (*s*).

XIX.

Sæculo superiore DAVIDES DERODON in libro Arausicæ edito, hodie rarissime obvio, cui titulum fecit DE SUPPOSITO, causam egit Nestorii contra Cyrillum, eum injuria in Synodo Ephesina hæreseos accusatum evincere conatus: nequaquam enim Christo duas personas tribuisse Nestorium, sed Cyrillum potius duas Sospitatoris nostri naturas confudisse. Male autem fuit exceptus is liber, tam acri contra sentientium stylo confutatus, quam Tolosæ publice combustus (*t*).

XX.

DESIDERII ERASMI ROTERODAMI, præcipui bonarum literarum restauratoris, memo-

(*s*) Vid. *Neueröffneten Bilder-Saals* Part. VII. p. 936. sq. Anglicos Cowardi librorum titulos exhibet Reverendiss. D. Pfaffius in Introd. in Hist. Theol. liter. P. II. p. 269.

(*t*) Vid. Bayl. Diction. in Artic. RODON. & Placcii Theatrum Anonymorum. f. 173. conf. Ven. D. Henr. Klausingii Disp. qua Controversiam Nestorianam olim agitatam haud fuisse Logomachiam asseritur. p. 5. sq.

memoria merito omnibus Philomuſis grata eſt atque jucunda. Tot namque nominibus meliorem ſibi orbem devinctum reddidit, ut pauciſſimis tantum debeat. Haud potuit tamen Vir laude digniſſimus Vatinianum multorum, quorum arrogantiam, inſcitiam aliaque vitia magna παῤῥησίᾳ reprehendit, evitare odium, & ipſius Pauli IV. P. M. rigidam ſententiam, qua non omnia duntaxat ejus opera, ſed & ſcripta Patrum, illius cura emendatius in lucem emiſſa Romæ ad ignes condemnavit. Ita enim Bullingerus ad Ambroſium Blaurerum A. 1557. (*u*): *Exurit libros Romæ Paulus IV. & quidem Eraſmi Roterodami omnes. Nunc & Cyprianus, Hieronymus, Auguſtinus comburuntur, eo quod ſcholiis Eraſmi ſint (ut os faculentum ait) coinquinati.*

XXI.

FABRICIUS VEJENTO multa olim & probroſa in Romanos Senatores ac Sacerdotes iis in libris, quibus nomen *Codicillorum* dederat, dixit. Propterea Nero Italia

(*u*) In J. H. Hottingeri Hiſtor. Eccleſ. Tom. IX. p. 408.

eum depulit, & libros exuri jussit, conquisitos, indice Tacito (*x*), lectitatosque, donec cum periculo parabantur: mox autem licentia habendi oblivionem attulit.

XXII.

A Vulcano quoque mandato Pauli IV. Præsulis Romani devorata fuit M. ANTONII FLAMINII *Psalmorum Davidis Explanatio*, si fides habenda Viro erudito, qui hæc meæ editionis limini adscripsit: *Cum A. C. 1559. Paulus IV. Pontifex R. celebraret in suo cubiculo una cum sex duntaxat Inquisitoribus Concilium clandestinum, quod sub nomine Catalogi Hæreticorum furens in Lutheranos immisit, hunc quoque librum Psalmorum Flaminii inter scripta hæretica expresse retulit, dignumque arrogantissime judicavit, qui cum auctore sancto Viro flammis in perpetuum aboleatur.*

XXIII.

A. MDXLVI. FOGELSANGUS quidam variarum hæresium, utpote Anthropomorphita-

(*x*) Annal. Lib. XIV. p. m. 332.

phitarum, Sabellianorum, Arianorum, Samoſatenianorum &c. Amſtelodami fuit poſtulatus, atque hinc primum in carcerem conjectus, deinde autem relegatus, libro ejus, quem *Lumen veritatis* inſcripſit, publice ſimul, uti nonnulli narrant, exuſto. Omnem hanc rem e Gerh. Branti Hiſtoria Reformationis Belgicæ diligenter expoſuit Mich. de la Roche (*y*)

XXIV.

Non deſunt, qui FORMULAM CONCORDIÆ inter libros a magiſtratu combuſtos referunt. Diverſa illam expertam eſſe judicia, inter omnes conſtat, aliis ſuo eam calculo probantibus, aliis autem in ipſo Evangelico-Lutheranorum cœtu rejicientibus. Nonnulli illam e Saxonia in Daniam miſſam a Friderico II. Daniæ Rege Vulcano traditam eſſe perhibent, edito inſuper decreto, ne ullus eidem ſubſcriberet, aut exemplum tantum unicum in regna & ditiones Danicas inferret, niſi graviſſimam Regis indignationem ſibi contrahe-

(*y*) In Memoires liter. de la Grande Bretagne. T. IV. p. 38. ſqq.

trahere, & pœnas eidem dare vellet. In ejus rei veritatem singulari & erudita commentatione (z) inquisivit B. Jo. Herm. ab Elswich, variis argumentis demonstrare annisis, laudatum librum a Friderico igni haud datum esse, scilicet alto, quo probatæ fidei, iique coævi & domestici præcipue auctores illam prætermittunt, silentio, creberrimis, quas hæc historiola in Dania & olim & nunc a viris cum Politicis, tum Theologis experta est, contradictionibus, circumstantiarum, quibus narratur, diversitate, &c. Idem præterea secus sentientium rationes studiose refellit.

XXV.

Inter infelices literatos locum haud infimum obtinet NICOLAUS FRANCUS, Vir ingenii & eruditionis laude inclutus, cujus non scriptum modo quoddam publice in favillas fuit versum, sed & ipse ob invisam, judice Thuano (a), cœlo Romano

(z) Seu Disquisit. Histor. de Formula Concordiæ num in Dania sit combusta? recusa Witteb. An. MDCCXVI. in 4.

(a) Histor. Tom. III. f. 1172.

no in ſermocinando libertatem ſub Pio V. ad furcam damnatus. Ejus ſupplicii cauſam Joannes de Nicaſtro in Pinacotheca Beneventana (*b*) plenius his verbis nos edocet: *Obſervandum opera pretium ducimus dignum hunc ſenem nequaquam capite damnatum fuiſſe a S. Pio V. contumelioſa ob verba in ipſum effutita, ut fere omnes hallucinati autumant; ſed famoſos ob libellos, quos in Pium IV. viventem ac mortuum effutierat. Cum enim Francus Priapeja explanare cœpiſſet, præfati Pii IV. juſſu nedum vetita eidem fuit, verum etiam combuſta cœpta explanatio. Hinc ingenti in Pontificem flagrans ira, plurima in ipſum voce ac ſcripto profudit convicia. Pro his nullam tunc temporis pœnam luit, quia valido Cardinalis Moroni patrocinio fretus. Pontifice tamen vita functo, ac vacantis ſedis beneficio auſpiciisque ſuffultus, mordaciori ſale antiqua refricare auſit vulnera. Enimvero adeo ſuum acuit mortuum in Principem calamum, ac famo-*

(*b*) Ubi p. 168. ſqq. illius vita, fata ac ſcripta recenſentur. vid. Cl. Coleri Autholog. T. I. faſc. II. p. 156. add. Carpentariana p. 53. ubi vero non contra Pium IV. ſed Paulum IV. Francus ſcripſiſſe dicitur.

famosos evomuit libellos, ut nullum fuerit convicii genus, quod ingens in illum non expuerit Franci furor. Hujus rei gratia postmodum, S. Pio V. jubente, morte damnatus fuit, eodem prorsus tempore, quo Cosmus I. optime de orthodoxa fide meritus, a Pio prædicto Magnus Etruriæ Dux nominandus, ac regia corona donandus in urbe degebat.

XXVI.

A. MDCXL. in Gallia vulgavit librum *de cavendo schismate*, OPTATI GALLI nomine assumpto, Carolus Hersent (*c*), Ecclesiæ Metensis Cancellarius, Gallicanos Præsules, qui Cardinalem Richelium in Patriarcham Galliæ electuri dicebantur, a crimine schismatis committendo dehortaturus. De hujus libri fatis hæc habet Henricus Spondanus ad A. 1640. (*d*): *Prodiit hoc anno mense Martio in Gallia ab ingenio quodam turbido libellus paræneticus ad Antistites regni, Optati Galli nomine de cavendo schis-*

(*c*) Vid. Baillet Jugem. des Sçavans. Tom. I. Part. I. p. 101. edit. Amstelod. 1725. & Placc. Theatr. Pseudonym. f. 303.

(*d*) In Continuatione Annalium Baronii Tom. II. f. 998.

ſchismate, quod jam ad portas eſſe annunciabat. Qui a Franciſco Archiepiſcopo Pariſienſi & ſuffraganeis Epiſcopis in unum collectis confeſtim examinatus, damnatus fuit tanquam ſcandaloſus, contumelioſus, ac pacis publicæ perturbativus, Regique & ejus miniſtris ac conſiliariis odium concilians, atque Præſulibus injurioſus, ut fert eorum cenſura: cui ſubinde ſubſcripſerunt quotquot alii Epiſcopi tunc in urbe reperti ſunt. Damnavitque Senatus eundem libellum igni. Et multi adverſus eum ſcripſerunt pro defenſione pacis & unionis Eccleſiæ Gallicanæ, cujus ſciſſionis nulla videretur eſſe umbra: quanquam & fuerunt inter ejusdem libelli oppugnatores, qui limites rationis in grave libertatis Eccleſiaſticæ præjudicium non parum exceſſerint. Quum vero Cardinalis Richelius atque cæteri Galliæ proceres nunquam ſerio de inſtituendo ejusmodi Patriarchatu cogitaverint, & quicquid tum temporis gerebatur, id unice factum ſit ad terrendum Papam, atque ad retundendæ pauliſper ejus fulgura ex pelvi, non immerito Clar. Dan. Maichelius ſilentio potius vel ipſo facto auctorem refutari commodiſſime potuiſſe cenſet, miratusque, tot eruditos certatim in ejus refutationem concurriſſe, ſcripta, brevi tempore contra librum

librum istum edita, enarrat, ut inde perspiciatur, quanto negotio homines, eruditi etiam, de lana caprina sæpius certare soleant (*e*).

XXVII.

Concilii Constantiensis tempore plures fuere, qui ob insignes Monasteriorum abusus extra monachale vinculum coire cœperant, in societate amica de communibus opibus viventes; eorum vero studium aut mores tanto motu damnare fuerat annisus Monachus Dominicanus, MATTHÆUS GRABON, ut Monachalem ordinem ultra modum extolleret, editis hunc in finem variis libellis, qui Martino V. P. M. ad dijudicandum oblati, & ab hoc Commissariorum, quos vocant, Cardinalium disquisitioni traditi, Petri præsertim de Alliaco Cardinalis Cameracensis judicio, cui ὁμοψηφος fuit Jo. Gerson, Academiæ Parisiensis Cancellarius, magnæ tum auctoritatis Vir, tanquam fidei & religioni Christianæ,

(*e*) De præcipuis Bibliothecis Parisiensibus. pag. 44. sqq.

næ inimici ad rogum damnati ſunt. Auctor autem deinde palinodiam cecinit (*f*).

XXVIII.

URBANI GRANDIER, Parochi & Canonici Laudunenſis, calamitates, quas ipſi doloſa obtrectatorum invidia excitavit, notiores ſunt, quam ut noſtro opus ſit indicio. Omnis tragœdia eum tandem ſortitita eſt exitum, ut is A. MDCXXXIV. d. 18. Aug. cum cunctis ſcriptis & characteribus magicis, illi ſuppoſitis, nec non libro *contra Clericorum cœlibatum* MSCto, quem compoſuiſſe ferebatur, infelicibus lignis uſtulandus traderetur, cineresque in aërem ſpargerentur. Res tota peculiari commentario (*g*) deſcripta extat, quem qui legerit, haud difficulter Æg. Menagio (*h*) aſſenſurum exiſtimo, cenſenti, eum in-

(*f*) Vid. Herm. *von der Hardt* Acta Concilii Conſtantienſ. Tom. III. Part. VIII. f. 106. ſqq.

(*g*) *Hiſtoire des Diables de Loudun.* Amſtel. 1693. in 12. cujus Germanica verſio prodiit Halæ Magdeb. A. 1704. in 4.

(*h*) Vid. Menagian. T. IV. p. 37. conf. Bælii Diction. T. II. f. 1297. ſqq.

felicem Virum Naudæi Viris celebribus injuste Magiæ insimulatis suo jure annumerandum esse.

XXIX.

Ad ignem etiam, quo maxime dignus est, ablegatus fuit Parisiis liber longe spurcissimus, sub titulo *l'Ecole des Filles* cognitus, atque ibidem clanculum excusus, cujus auctor esse dicitur quidam nomine HELOT, ipso simul auctore, qui fuga elapsus erat, in effigie suspenso, Librarioque mulcta affecto (*i*).

XXX.

A. MDCXCI. illustris Basilienſium Respublica civilibus turbis misere fuit agitata, quarum plenior notitia e Theatro Europæo (*k*) peti potest. Prodiit vero earum occasione A. 1693. neque loco impressionis, neque typographo indicato, in forma quadripertita JACOBI HENRIC-PETRI scriptum atrox & truculentum, cujus, ut ex ungue

(*i*) Vid. Carpentariana. p. 79. sqq.
(*k*) Tom. XIV. p. 143.

ungue leonem agnoſcas, en titulum: *Baſel, Babel, das iſt: Gründlicher Bericht über den höchſt- verirrt- und verwirrten Zuſtand der Stadt Baſel, was maſſen ſelbige nemlich von geraumer Zeit hero einer Haupt- sächlich- durchgehenden* Reformation *vonnöthen gehabt, wie eine ſolche An.* 1690. *zwar ſehr glücklich angefangen, darauf aber A.* 1691. *von den fehlbaren und ſchuldigen Regenten daſelbs nicht allein ganz unverantwortlich hintertrieben, und ſo gar mit Vergieſſung unſchuldigen Burger- Bluts erſchröcklich geendet, ſondern auch und fürnemlich auf was für eine unerhörte Weiſe noch Anno* 1692. *von eben ſelbigen wider ihr eigenes gleich Anfangs zu dieſer* Reformation *Hoch- Obrigkeitlich- deputirtes und bevollmächtigtes Mit- Regiments, Glied Herrn Jacob Henric- Petri beyder Rechten Doctorem, der Röm. Kayſerl. Majeſt. ſubſtituirten Gevollmächtigen Commiſſarium gehandelt und procedirt worden &c.* Hunc autem librum per carnificem juſſu magiſtratus crematum fuiſſe, nonnemo fide digniſſimus mihi retulit.

* * *

Cæterum quum mea de variis in libros ſtatutis commentatiuncula jam typis eſſet exſcripta, pereruditam nactus ſum diſſertationem, quam inibi laudare debuiſſem, *de jure circa Libros improbatæ lectionis ad l. 4. §. 1. π. fam. herciſc.* Halæ Magdeb. A. MDCCXXVI. d. 7. Dec. ſub præſidio Illuſtris Böhmeri a Jo. Adolpho Buchero publico eruditorum examini ſubmiſſam, in cujus cap. I. de ratione & fatis moris antiqui improbandi lectionem librorum cap. II. de more hodierno eccleſiaſtico & civili improbandi lectionem librorum fuſe & egregie agitur.

VII.

JUDICIUM (a) MAGISTRORUM ACADEMIÆ PRAGENSIS DE PROPOSITIONIBUS Quibusdam JO. MUNSINGERI è MSto.

Incipit Declaratio Magiſtrorum Almæ Univerſitatis Pragenſis.

IN nomine Domini Amen! Anno nativitatis ejusdem 1385. Indictione octava, die 12. menſis Octobris, hora quaſi

(a) Hoc mecum benevole communicavit Vir Summe Reverendus atque Ampliſſimus Dn. M. Georg. Valentin. Zeis, Superattendens Bietigheimenſis optime meritus. Meminit vero hujusce controverſiæ in Lection. Memorabil. Tom. I. f. 691. Jo. Wolfius his verbis: *Joannes Mantziger Rector Scholæ Ulmenſis A. 1384. recitavit publice in ſchola orationem quandam, in qua contendit, corpus Chriſti non eſſe Deum, atque ideo*

nec

veſperarum, Pontificatus ſanctiſſimi in Chriſto Patris & Dn. noſtri Dn. Urbani divina providentia Papæ VI. anno octavo, in majori Civitate Pragenſi in ſcola ſacræ Theol. domus habitationis honorabilium virorum Dominorum Magiſtrorum Doctorum & ſcolarium Collegii Omnium Sanctorum Univerſitatis ſtudii Pragenſis, in mei Notarii Publici infra ſcripti & teſtium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum præſentia conſtitutus perſonaliter coram honorabilibus viris Domino Fridmanno de Praga, Conrado Zolchon in S. Theologia & in artibus magiſtris, Canonicis Eccleſiæ OO. SS. in caſtro Pragenſi, ceterisque Magiſtris

---

nec adorandum ut Deum adoratione latriæ, ut Sophiſtæ loquuntur. Eadem poſtea & ſcriptis defendit. Fecit autem id eo fine, quod voluit oſtendere, Sacramentum non eſſe adorandum. Aſſeruit quoque, Chriſtum in reſurrectione omnem ſanguinem, quem effuderat in paſſione, ſecum aſſumſiſſe: volens nimirum inferre, cruores iſtos Chriſti, qui paſſim adorantur, non vere Chriſti ſanguinem dici poſſe, nec adorari debere. At oppoſuerunt ſeſe ei mox monachi, utpote quibus ex talibus idololatriis ubervimus quæſtus provenit. Tandem, de voluntate etiam Senatus civitatis, rejecta eſt res ad ſcholam Pragenſem, quæ probavit quidem propoſitiones prædicti Rectoris ſcholæ: ſed tamen ſacramentum adorandum eſſe ſtatuit propter concomitantiam divinitatis, de qua ſophiſtæ otioſe in ſacramento ſpeculantur & rixantur.

giſtris Studii Univerſitatis Pragenſis ibidem more conſueto convocatis & congregatis facultatem facientibus, Honorabilis vir Dominus Johannes dictus Münſinger in S. Theologia ſtudens & in artibus Magiſter, Rector ſcolarum in Ulma Conſtantienſis Diœceſeos. Ubi dictus Dn. Joh. Münſinger quoddam publicum inſtrumentum una cum ſubſcriptione Hainrici dicti Vir aliàs nominati Zorn de Ulma Clerici Conſtantienſis Diœceſeos Publici Imperiali auctoritate Notarii jurati in pergameno ſcriptum & ſigno ipſius & nomine conſuetis conſignatum ſanum & integrum publice exhibuit, & idmet ad manus Dnn. Magiſtrorum prædictorum tradidit & aſſignavit. Cujus quidem Inſtrumenti tenor per omnia ſequitur, & eſt talis:

In Chriſti Nomine Amen. Anno nativitatis ejusd. 1385. Ind. 8. die 12. menſ. Sept. hora veſperarum vel circa, Pontificatus Sanct. in Chriſto P. & P. noſtri Dn. Urbani div. prov. Papæ VI. anno 8. In conventu Ordinis Prædicatorum oppidi Ulmenſis, in mei Not. Publ. & teſtium infra ſcriptorum præſentia perſonaliter conſtitutis & congregatis Fratribus Ordinis Prædicatorum Ulmæ & capitulariter unitis parte ex

una & Rectore ſcolarium in Ulma parte ex altera cauſa iſtius : Quia aliqui Prædicatores de capitulo publicè in cancellis pluries coram magna multitudine prædicarunt & dixerunt, Magiſtrum Johannem Münſingerum Ulmæ Rectorem ſcolarium poſuiſſe & dixiſſe aliquas propoſitiones de infra ſcriptis hæreticas, quas faſſus eſt idem M. Johannes ſe dixiſſe in quad. Collatione in ſcolis ſuis pluribus literatis præſentibus, quam Collationem fecerit pro ſuis ſcolaribus juxta conſuetudinem hucusque habitam & ad eum venientem Anno Domini 1384. 3. feriâ poſt diem Palmarum, & Anno præſente iterum in una Collatione, puta 3. feria poſt Palmarum propter unam gravem contradictionem factam à M. Johanne de Hurwin Ord. Prædic. in die Palmarum, reſumendo eas : Permiſitque alios quoscunque reſcribere, ne imponerentur ſibi aliæ propoſitiones. Idcirco in vigilia Nativ. Mariæ anno præſenti Conſules ejusdem loci Ulmenſis convenerunt Venerandum in Chriſto P. Provincialem Theutonicæ nationis Ord. Præd. ejusdem Capituli Rectorem, & M. Johannem de Hurwin pronominatum, ac Rev. P. Johannem Arnoldi Inquiſitorem Hæreticæ pravitatis Sedis Apoſtolicæ,

cæ, & Conradum Albegk Baccalaureum in Theologia Pragenſem, M. Johanne Münſingero præſente, propoſueruntque medium veritatis quærentes, an dictus M. Joh. Münſinger vellet expedire coram Inquiſitore præfato via inquiſitionis, an coram Capitulo præſcripto & Clero Ulmenſi viâ informationis, an coram epiſcopo ſuo Conſtantienſi viâ juris? Ipſe quidem rector ſcolarium petiit, quod ſuper ipſis poſſet reſpondere Pragæ & Viennæ coram Magiſtris in Theologia, quorum correctionibus in his nec non in aliis ſe ſubmittit & ſubmiſit, eo quod Baccalaureus in Theologia prænotatus dixerit, quod eſſet ſibi commiſſum à M. Fridemanno S. Theologiæ Profeſſore, quia in hac parte plures complices dixerit ſe habere viros literatos, quòd debeat inquirere via meliori qua poſſet, quid eſſet de propoſitionibus ſubſcriptis. Quamobrem fuit declaratum per PP. Prædicatores & cives prædictos, quod idem Rector ſcolarium debeat exhibere dicta ſua ſub manu publica & tradere prodicto Baccalaureo, transmittendo ea univerſitatibus Pragenſi & Wiennenſi, ac propterea in perſona comparere coram univerſitate Pragenſi circa feſtum S. Galli. Itaque in præſentia dicti Baccalaurei cum

inſtrumentis per eum illic directi deberent ibi Magiſtris Theologiæ proponi ſæpe dicti Rectoris ſcolarium dicta, & ſicut declararentur ita deberent acceptari. Et quia ſimiliter aſſeruerat, quòd tres Magiſtri in Theologia de Univerſitate Wiennenſi dixiſſent, quòd propoſitiones ſuæ aliquæ & dicta ſua aliqua poſſent ſtare cum veritate; Et in dubium ducebatur, an prædicti Magiſtri tres ita dixiſſent, deberent ſimiliter omnia dicta M. Johannis dictæ Univerſitati Wiennenſi ſub manu publicâ exhiberi, ut exinde etiam veritas poſſet evidentius cognoſci.

1. Propoſitio. Puncta vero quæ propoſuit, & voce & ſcriptis tradidit ſunt hæc: Corpus Chriſti non eſt DEus. Probatur: Nulla creatura eſt DEus, ſed Corpus Chriſti eſt creatura, igitur non eſt DEus. Conſequentia patet, & major eſt nota, quia aliquam creaturam eſſe DEum implicat contradictionem. Sed minor probatur per S. Thomam in Compendio Theologicæ Veritatis, ubi dicit, quod ipſum antiquum in Chriſto ſcil. corpus propagatum ab Adam itaque incepit eſſe quando corpus Adæ incepit eſſe. Sed aliquis inſtaret hîc: Ubicunque eſt corpus Chriſti, ibi eſt DEus, E. corpus Chriſti eſt DEus. Negatur Conſequentia, quia non

non ſequitur in ſimili : Ubicunqne eſt Papa, ibi eſt Roma, E. Papa eſt Roma. Nec ſequitur : Ubicunque eſt Johannes, ibi eſt anima ejus, E. Johannes eſt anima Johannis. Etiam quod corpus Chriſti non ſit Deus, probatur pro S. Thomam in Libro præallegato L. V. Cap. de Dignitate Euchariſtiæ & Mirabilibus quæ ibi ſunt, ubi ſic dicit : quod Deo ſimpliciter & proprie convenit eſſe ubique, creaturæ convenit eſſe in uno loco tantum, corpus Chriſti medio modo ſe habet, cum enim ſit creatura, non debet æquari creatori in hoc quod ſit ubique; cum vero ſit unitum Deitati debet in hoc excedere alia corpora, ut ſimul & ſemel in pluribus locis poſſit eſſe ſub ſacramento. Probatur hoc idem alia ratione : Anima Chriſti non eſt Deus, igitur nec corpus. Patet conſequentia, quia anima eſt nobilior corpore & melior, & ſi corpus Chriſti eſt Deus, tunc ſequitur, quod aliquid ſit nobilius & melius Deo, quod eſt falſum. Etiam dicit Jeronymus: Nullus dicat, quod caro aſſumpta ſit Deus. Etiam Richardus in una ſuarum Quæſtionum manifeſte probat, quod caro Chriſti non eſt Deus. Sed inſtaret aliquis : In principio erat verbum,

&

& verbum caro factum est. Glossant
2. Propos. Doctores, caro, i. e. homo. Humanitas Christi non est homo. Probatur: Omnis homo est res per se existens, Humanitas Christi non est res per se existens, E. Humanitas Christi non est homo. Consequentia patet in Baroco, & Major est nota, quia si non, tunc cujuslibet hominis digitus esset homo. Et Minor est nota per dicta Scholasticorum. Secundo, si humanitas Christi esset homo, sequeretur quod B. Virgo habuisset duos filios. Consequens est falsum. Probatur Consequentia, quia filius in Divinis est filius ejus, & cum hoc humanitas Christi etiam est filius ejus, quia si est homo & mater ejus tunc est filius vel filia sed non est filia, igitur filius. Tertio probatur per S. Thomam in Comp. Theol. Ver. L. IV. De Unione & Natura assumpta, qui dicit, quod hæc opinio non est vera. Deus assumpsit hominem, nisi exponatur, i. e. humanam naturam. Modo si humanitas Christi esset homo, tunc hæc de virtute sermonis esset vera, Deus assumpsit hominem quia humanitatem, & hoc est falsum, quod humanitas Christi sit homo, sicut dicit S. Thomas.
3. Propos. Christus est filius Dei & filius B. Mariæ,

riæ Virginis, ſicut probatur per Symbolum. Et iſte non eſt compoſitus ex Deitate & Humanitate. Probatur hoc per S. Thomam in Compendio Theol. Verit. L. IV. Cap. de Unione & Nat. Aſſ. ubi dicit, quòd impoſſibile eſt, quòd divina natura concurrat cum alia ſicut pars ad conſtitutionem tertii, vel quod ipſa tranſeat in aliam vel alia in ipſam, propter ſimplicitatem vel unitatem ipſius perfectiſſimam. Propterea humanitas & deitas non uniuntur in unitate naturæ ſed in unitate perſonæ. Secundò, ſi illa duo eſſent DEus, ſequeretur quòd eſſent duo Dii. Conſequens eſt hæreticum. Conſequentia probatur, quia DEus eſt DEus; & illa duo per adverſarium etiam ſunt DEus. Modo nulla pars eſt ſuum totum. Igitur ſunt duo Dii diſtincti, & per conſequens ſequitur, quod Chriſtus qui eſt verus DEus non eſt compoſitus ex deitate & humanitate. Et iſtam propoſitionem etiam tenet Magiſter, & allegat pro ſe S. Auguſtinum & alios Doctores ibidem. Sed aliquis inſtaret contra propoſitionem, volens probare, quod Chriſtus ſit compoſitus ex deitate & humanitate, per dictum Athanaſii in Symbolo, qui dicit, quòd

ſicut

ſicut anima rationalis & caro unus eſt homo, ita Deus & homo unus eſt Chriſtus. Reſpondet S. Thomas in libro præallegato cap. de Un. & Nat. Aſſ. quod ibi ponitur ſimilitudo quantum ad unitatem perſonæ & non naturæ, quia caro & anima differunt in homine quantum ad eſſentiam, conſtituunt tamen unam perſonam. Eodem modo eſt inter Deitatem & Humanitatem Chriſti differentia, & tamen ibi eſt unitas in perſona, & quia divina natura in nullo ſuppoſito poteſt ſubſiſtere præterquam in propria yppoſtaſi, unde unio illa non poteſt eſſe in perſona hominis ſed Dei.

4. Propoſ. Hæc ille. Nulla creatura eſt adoranda adoratione quâ Deus debet adorari, adoratione ſcil. latriæ, qui ſolus Deus eſt adorandus tali adoratione, videlicet per ſanctam Scripturam. Sed corpus Chriſti eſt creatura, igitur. De iſta materia loquitur S. Thomas in Comp. Theol. Ver. L. V. de Dulia & latria, ubi dicit, quod latria ſit cultus & reverentia Deo exhibitus, unde ſi creaturæ exhibetur honor Deo debitus, eſt ydolatria. Dulia debetur creaturæ, in quatum eſt ymago dei. Unde dulia eſt honor qui debetur Sanctis. Hinc de B. Virgine eſt ſciendum, quod in quantum ipſa eſt,

eſt perſona ſancta, debetur ei dulia, ſed in quantum ipſa eſt mater Chriſti, debetur ei ypperdulia i. e. ſuperior dulia, ypperdulia etenim debetur creaturæ excellenti, ſicut eſt caro Chriſti, B. Virgo Crux Domini noſtri J. Chriſti Hæc omnia B. Thomas in loco præallegato. 5. Propoſ. Item hoſtia conſecrata non eſt Deus. Probatur, quia poſt prolationem verborum à ſacerdote faciente ſecundum morem Eccleſiæ incipit hoſtia conſecrata, quæ prius non fuit hoſtia conſecrata, ſed Deus nunquam incepit eſſe. Igitur &c. Item Deus eſt ſub hoſtia conſecrata, corpus ejus, ſanguis & anima, & iſta hoſtia in altari dividitur in 3. partes, ſed nullum prædictorum dividitur in 3. partes, & per hoſtiam intelligo accidentia quæ ſunt in pane, rotunditatem videlicet, ſaporem & gravitatem. Nota quod illa 4. quæ ſunt ſub ſacra- 6. Propoſ. mento, Corpus, anima, ſanguis Chriſti & Deitas, non ſunt Deus. Probatur, quia omnis Deus eſt Deitas, ſed illa 4. non ſunt Deitas & per conſequens non ſunt Chriſtus, quia Chriſtus eſt Deus. Major eſt nota, & minor probatur, quia illa 4. non ſunt ſemper, ſicut Deus fuit ſemper. Quod autem illa non fuerint ſemper, probatur, quia

Chriſtus

Christus fuit incarnatus. Item quatuor sunt in sacramento altaris, quorum solum unum, scil. Deitas est Deus. Probatur, quia si quodlibet eorum esset Deus, sequeretur quod essent quatuor Dii. Item canitur in una Antiophona: Hodie Deus homo factus est, id quod fuit, permansit, & quod non erat, assumpsit. Item canitur in quâdam sequentia: Assumens quod non erat, manens quod erat. Item ex dictis sequitur, quod Deus non sit creator & creatura, sed solum Creator Deus & homo. Item sequitur correlative, quod præsuppositis articulis fidei propositiones possunt ex ipsis demonstrari.

Item Dn. Conradus Albegk Baccalaureus Pragensis voluit habere adhuc plures propositiones, quas etiam fatetur se dixisse. Cum Sacerdos, volens communicare infirmum, dicit: Credis hoc esse corpus Christi, ostendendo hostiam consecratam, ubi intentio utriusque debet ferri ad id quod creditur, & non ad id quod cernitur, quia accidentia visa non sunt corpus Christi, licet intus sit corpus Christi. Sed ideo propter simplices tutius videtur dicere: Credis hic esse corpus Christi sub specie panis, qui multi simplices ignorant

rant, ad quid intentionem dirigant. Item tanta veneratio debetur nunc calici consecrato ratione contenti, sicut hostiæ consecratæ, quia eadem sunt ibi contenta. Item aliqui dicunt, quod Christus in sua Resurrectione totum sanguinem suum resumpserit sicut & totum corpus, cum sanguis sit de integritate corporis sicut & caro. Illa tamen ratio non compellit ad id tenendum, quia forsan corpus incorruptibile non indiget tanto sanguine sicut corpus mortale, & idcirco sufficit, quod Christus resumeret de proprio sanguine, quantum sufficeret pro immortali vita, unde & sanguinem circumcisionis non creditur resumpsisse.

Porro quibusdam fratribus convenientibus inter alia asseruit prædictus Baccalaureus una cum Gotfrido de Mengen Priori Prædicatorum Constantiensium, quod hæc Propositio: Corpus Christi non est adorandum adoratione latriæ, esset hæretica. Et idem Baccalaureus sæpe nominatus de licentia Provincialis nec non nomine totius Provinciæ Teutonicæ requisivit me Notarium Publicum præscriptum, quatenus super his unum vel plura instrumentum vel instrumenta facerem meliori modo & forma quibus possem è Jure. Acta sunt hæc an-

no, menſe, die, hora, loco, indictione & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & honeſtis viris Nycolao Lectori Fratrum Minor. Ulmenſium, Johanne dicto Junckher Gardiano Fratrum Minor. eorundem, Jodoco dicto Haym, Rectore Eccl. in Göttingen, Hainrico dicto Gortzinger Capellano apud S. Leonh. extra muros oppidi Ulmenſis, Ulrico Vetter de Werda, Ulrico Strœli & Joh. Prüſtner civibus Ulmenſibus, pro teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter & rogatis. Et ego Hainricus dictus Vir alias nominatus Zorn de Ulma, Clericus Conſtant. Diœc. Publicus auctoritate Imperiali Notarius juratus, quia prædictis faſſioni propoſitionum prænotatarum, requiſitioni, omnibusque aliis & ſingulis, prout ſupra ſcribitur, una cum prænominatis teſtibus, tempore & loco præſcriptis, præſens interfui, eaque ſic fieri vidi & audivi, ideo hoc præſens publicum inſtrumentum deſuper confectum aliis negotiis præpeditus per alium conſcribi feci, meque hic ſubſcripſi, ſignoque meo ſolito & conſueto ſignavi, in teſtimonium evidens omnium præmiſſorum, requiſitus pariter & rogatus.

Et eod. publico inſtrumento ſicut præmittitur per memoratum Joh. Münſinger Dominis & Magiſtris ante dictis exhibito tra-

tradito & aſſignato, & per eosd. Dnn. & Magiſtros S. Theologiæ recepto, prænominatus Dn. & M. Joh. Münſinger præfatis Dnn. & Magiſtris S. Theod. humiliter & cum omni quâ decuit inſtantiâ ſupplicavit, & eosdem requiſivit, ut ipſi articulos in inſtrumento publico ſupra dicto contentos & expreſſos juxta donum ſcientiæ à Deo ipſis traditæ declarare & declarationem ipſorum facere & eandem pronunciare dignarentur. Qui Domini & Magiſtri S. Theol. inſtrumento illo humaniter à dicto Joh. Münſinger recepto, ut eſt præmiſſum, dixerunt, ſe velle ſuper contentis in eod. deliberare. De quibus & ſingulis prætactus M. Joh. Münſing. petiit ſibi per me Not. Publ. infra ſcriptum fieri & confici inſtrumentum vel inſtrumenta unum vel plura. Acta ſunt hæc Anno, Indictione, die, hora, loco & Pontificatu, quibus ſupra, præſentibus honorabilibus & diſcretis viris, Nicolao dicto Puthiul Licentiato in Decretis, Canonico Pragenſi, Curiæ Archiepiſcopalis Pragenſis Officiali, Lamperto de Kuſs. Kirch Rectore almæ Univerſitatis Studii Pragenſis, Nicolao de Gubin, Ludwico Johannes de Praga, Baccalaureis in S. Theol. & in artibus Magiſtris, Petro Wiſathe dicto Ro-

detzka Notario publico, familiari Dn. Nicolai Officialis ante dicti, & aliis pluribus teſtibus fide dignis circa præmiſſa &c.

Item currente A. Domini 1386. Indictione 9. tertiâ die menſis Febr. horâ quaſi veſperarum, Pontificatus Sanct. in Chriſto P. & D. noſtri Dn. Urbani divinâ providentiâ Papæ VI. prædicti Anno octavo, in majori civitate Pragenſi, in Stubâ majori domus habitationis honorabilium virorum Dominorum Magiſtrorum Collegii OO. SS. in mei Notarii Publici infra ſcripti & teſtium præſentium ſubſcriptorum ad hoc ſpecialiter vocatorum & rogatorum conſtituti perſonaliter honorabiles viri Domini Fridmannus de Praga, Conr. Zolthan, Joh. Marianverde, & Joh. Venceslaus de Praga, S. Theol. Prof. cæterique Dn. & Magiſtri Univerſitatem Studii Pragenſis repræſentantes more ſolito ad infra ſcripta convocati, ubi Dominus & M. Conradus Zolthan præfatus quandam Declarationem in quodam quaterno bappiri ſcriptam publicè exhibuit & oſtendit, & eandem declarationem videlicet ſuper articulis in ſupra ſcripto inſtrumento publico contentis per memoratos Dominos & Magiſtros factam & notatam ſuorum & omnium aliorum Dominorum & Magiſtrorum S. Theol. Profeſſorum ibidem præſentium

no-

nomine & ex certa ſcientiâ, mandato, commiſſione, conceſſu & voluntate, alta intelligibile & expreſſâ voce de verbo ad verbum publicavit, legit & promulgavit, cujus quidem declarationis tenor per omnia ſequitur & eſt talis:

In exordio præſentis negotii Deo ſcientiarum domino humiliter invocato proteſtamur, quòd circa puncta infra ſcripta, nuper in forma publicæ ſcripturæ de opido Ulm Conſtant. Dioc. transmiſſâ & coram ſcriba & teſtibus nobis per honorandum Joh. Münſinger in artibus M. & in S. Theologiâ ſtudentem exhibita, non intendimus quicquam pertinaciter affirmare nec ipſa temere diffinire, ſed juxta S. Scripturæ teſtimonia, ſanctorum Doctorum ſententias & modernorum Magiſtrorum easdem imitantium, catholicam veritatem, quæ utinam tot haberet rectores quot habet detractores, conabimur declarare. Volentes nihilo minus cum SS. Rom. Eccleſia, ſub cujus auctoritate juxta profeſſionem noſtram in his & aliis ſingulis ſaluberrima Chriſtianæ fidei ſacramenta & myſteria tangentibus idem ſemper & ſentire ac docere, & ejus correctioni in omnibus obedire. Quocirca vos univerſos & ſingulos

præſertim in oppido Ulm Conſt. Dioc. & locis circumvicinis ac alias ubilibet conſtitutos, ad quos dictorum punctorum præſens noſtra declaratio pervenerit, exhortamur in Domino, & per ejus miſericordiam confidenter admonemus, ut de materia ſacramenti altaris & aliis in præmiſſis punctis tactis & in noſtra Declaratione tractandis non malitioſè, non arroganter, ſed humiliter in bonitate ſentire ſtudeatis, juxta Spiritus S. ſententiam in exordio Libri Sap. fidelis ſic ſalubriter inſtruentis: Sentite, inquit, de Domino in bonitate, & in ſimplicitate cordis quærite illum. Et ne portæ inferi, nequam ſcilicet doctrinæ quæ ſeducendo imprudentes ad inferos trahunt, prævalere poſſint, fidelis anima non ſuæ prudentiæ ſed patrum Decretis & ſolidis ſanctorum Doctorum doctrinis innitatur, memor verbi, quod in Parab. Salom. 22. cap. diſtrictè ſibi proponitur: Ne transgrediaris terminos quos poſuerunt patres tui.

Punctus itaque primus, quem inter cæteros voce & ſcriptis tradidiſſe dicitur Joh. Münſinger A. M. Rector dicti oppidi Ulm præfatus juxta tenorem inſtrumenti &c. fuit iſte: Corpus Chriſti non eſt DEus. Pro cujus declaratione teſtimoniis ſacri cano-

nis

nis innitentes dicimus primò, quòd communiter in S. Scriptura corpus Chriſti & caro Chriſti pro eodem intelligantur. Dicitur enim Joh. 6. niſi manducaveritis carnem filii hominis & biberitis ejus ſanguinem non habebitis vitam in vobis, cum pluribus ibidem. Et Matth. 26. de eadem ipſa carne dicitur: Accipite & manducate, hoc eſt corpus meum. Similis modus loquendi Marc. 14. & Luc. 22. cum ſimilibus multis in Scriptura N. Teſt. Ex communi etiam modo loquendi ſanctorum Doctorum ſatis patet, nomine corporis Chriſti & carnis Chriſti idem intelligi, videlicet ex auctoritatibus ſanctorum, quos Magiſter inducit in III. Diſt. 2. Idem patet per S. Thomam & per alios antiquos & modernos Doctores, in materia corporis Chriſti ac carnis loquentes, qui alternis vicibus per corpus Chriſti intelligunt carnem Chriſti & econtra, communiter enim Doctores his Duobus complexis utuntur. Secundo dicimus, quod per idem complexum, ſcil. corpus Chriſti ac caro Chriſti in S. canonicâ Scripturâ intelligatur altera pars humanitatis Chriſti diſtincta contra animam Chriſti. Quoad corpus ejus dicit Chriſtus Lucæ ultimo: Spiritus carnem & oſſa non habet

bet ſicut me videtis habere. Quoad animam dicit Joh. 10. ego pono animam meam & aſſumo eam, cum multis in Scripturâ ſimilibus. Et expreſſe patet hoc per B. Jeronymum in Expoſit. Cathol. Fidei, quem allegat Magiſter in III. Diſt. 2. Confitemur in Chriſto eſſe unam Filii perſonam, ut dicamus, duas perfectas & integras eſſe ſubſtantias, divinitatem & humanitatem, quæ videlicet humanitas ex animo continetur & corpore. Et ita patet propoſitum per dicta Sanctorum, quæ Magiſter ibi inducit, & communiter per omnes Doctores Catholicos materiam iſtam pertractantes. Et ideo etiam in Symbolo Athan. de Chriſto ſic dicitur, quod perfectus ſit homo ex anima rationali & humanâ carne ſubſiſtens. Tertio dicimus, quod licet iſte homo ſit Deus de incarnato Chriſto, juxta id Apoſtoli: Mediator Dei & Hominum homo Chriſtus Jeſus, quod enim patet in pluribus locis ſacri canonis & ſanctorum DD. tamen Humanitas Chriſti non eſt Deus, Humanitas Chriſti eſt aſſumpta à filio in unitatem ſuppoſiti, videlicet per Magiſtrum L. III. Diſt. 2. per totum, & quia, ut ait B. Ambroſius, quem allegat Mag. in eâd. Diſtinct. Alius eſt qui aſſumſit, & aliud quod aſſumptum

ptum eſt. Ex quo habetur, quod humana natura non eſt Deus. Item ad propoſitum dicat S. Thomas ſuper III. Diſt. 21. Q. 1. Art. 20. Humana natura non eſt yppoſtaſis in Chriſto. Ex quo non ſolum patet, quod Humanitas Chriſti non eſt DEus, ſed etiam quòd ipſa humanitas Chriſti non eſt homo, nec eſt res per ſe exiſtens, ut rectè & Katholicè dicitur in 2. puncto inſtrumenti nobis præſentati. Et facit ad idem S. Thomas ſuper III. Diſt. 6. Q. 1. ubi ſic dicit, quòd de Chriſto non prædicatur humana natura neque partes ejus. Idem expreſſè ponit Alex. de Hales in tertia parte, dicens, falſum eſt, Chriſtus eſt humana natura. Concordat Bonaventura ſuper III. Diſt. 8. in prima materia quæſt. 3. in ſolutione argumenti primi, dicens: Hæc eſt falſa, Chriſtus eſt humana natura. Similiter ea eſt falſa, Humana natura eſt DEus. Idem Altiſiodorenſis in Summa L. III. materia de dignitate Chriſti, Artic. 3. ubi copioſè propoſitam declarat veritatem. Ex præmiſſis itaque primum punctum propoſitum ſic declaramus, quòd quia corpus Chriſti & caro Chriſti communiter in ſacro canone Bibliæ & dictis ſcolaſticorum pro eodem intellecta inveniuntur, ut in principio præ-

missum est, & assumpta humanitas non est DEus, cujus partes sunt corpus vel caro Christi & anima, ut ex Doctoribus & Scolasticis clarè liquet, Catholicè & propriâ locutione concedi potest & decet quòd corpus Christi non est DEus nec caro Christi est DEus. Testatur hoc ipsum B. Jeronymus, ut Magister allegat in 3. Libro Dist. 1. & ponitur in Glossa ad Rom. 1. Verbum est DEus non caro assumpta. Item B. Augustinus in Rescripto contra falsam disputationem Arrii ex intentione probat, quod humana caro Christi non sit Christus, igitur nec corpus Christi est DEus. Concordat S. Thomas in 3. Parte Summæ Q. 50. quæ est de morte Christi, Art. 3. in solut. arg. tertii, dicens: propter unionem humanæ naturæ verbum Dei non dicitur humana natura sed dicitur homo, quod est habens humanam naturam. Anima autem & corpus sunt partes essentiales humanæ naturæ, unde propter unionem verbi ad utramque eorum non sequitur, quod verbum Dei sit anima vel corpus, sed est habens animam & corpus. Item idem super III. circa Dist. 21. Art. 2. dicit sic: Non potest dici quod filius Dei sit anima, sicut potest dici quod sit homo. Ex quo patet quod filius Dei

à

à fortiori non eſt corpus Chriſti, cum anima ſit corpore nobilior. Concordat Alex. de Hales in III. Parte, in Articulo iſto: Utrum Chriſtus ſit unum vel plura. Item concordat Scotus circa Diſt. 22. tertii, dicens, Quod licet in triduo mortis Chriſti nec anima fuit á verbo ſeparata nec corpus, ſed utrumque manſit divinitati unitum, tamen Chriſtus in triduo ſuæ mortis non potuit dici corpus nec caro, quia non fuit individuum corporis nec carnis. Si ergo tunc quando anima Chriſti fuit a corpore ſeparata, & quodlibet eorum ſeorſum erat filio Dei unitum, dici non potuit quod corpus Chriſti eſſet Chriſtus vel Deus, ergo à majori, cum nunc anima Chriſti ſit ejus corpori unita, dici non poterit quod corpus Chriſti ſit Deus vel Chriſtus vel filius Dei. Concordat Bonaventura circa Diſt. 2. tertii, Mat. 2. Q. 1. dicens: Hæc eſt falſa, Filius Dei eſt caro vel anima rationalis. Item idem concordat circa Diſt. 21. tertii, Q. 1. 1. & 2. articulis. Item concordat Thomas de Argentina circa Diſt. 21. Et poteſt iſta Catholica veritas, videl. quod corpus Chriſti non eſt Deus ſic ratiocinando declarari: Corpus Chriſti fuit mortuum nullo modo vivens, ſcil. in triduo, ut patet

per

per Magiſtrum in III. Diſt. 21. Sed Chriſtus aut Dei filius aut Deus, licet in triduo dicatur mortuus propter carnem unitam verbo quæ mortua fuit, ut dicit Magiſter ibidem, tamen Chriſtus nunquam fuit mortuus nullo modo vivens, dicente B. Auguſtino contra Felicianum: Abſit ut Chriſtus ſic ſenſerit mortem, ut in quantum in ſe eſt vita, vitam perdiderit, ſi enim hoc ita eſſet fons vitæ aruiſſet. Item corpus Chriſti ſæpe incidit eſſe de novo in aliquo loco præexiſtente, in quo prius non fuit, ut videlicet vi conſecrationis in altari. Sed impoſſibile eſt Deum incipere eſſe in aliquo loco præexiſtente in quo prius non fuit, ut patet per ſanctorum dicta, quæ Magiſter ad hoc inducit in Primo Diſt. 31. Item ſi debito devotionis ſtudio ad tam dignum quam mirabile Euchariſtiæ Sacramentum, in quo noſtræ ſalutis autor totus Chriſtus verus Deus & verus homo veraciter continetur, ut credit & docet SS. Rom. viſibilis Eccleſia conſiderationem quoad punctum propoſitum vertamus, ex ſanctorum Doctorum dictis, a quorum ſalubri ſententia non eſt phas declinare; Declaramus, catholice tenendum & aſſerendum, quod etiam in hoc ſacramento corpus Chriſti non eſt Deus, fit enim divi-

divinitatis miranda potentia in hoc ſacramento converſio ſive transſubſtantiatio panis non niſi in corpus Chriſti, & vini non niſi in ſanguinem Chriſti vi ſacramenti, & non fit converſio panis in Chriſtum, nec in animam Chriſti nec in Chriſti divinitatem, licet inſeparabili concomitantia ſub utraque ſpecie, ſcil. panis & vini ſit poſt conſecrationem integer Chriſtus verus homo & veverus Deus. Iſta eſt Declaratio Magiſtri ex dictis SS. Ambroſii, Auguſtini, Gregorii, Hilarii & aliorum, quos inducit Magiſter L. IV. Diſt. 11. per totum, quos imitantur in ſententia idem dicentes B. Thomas, Petrus de Tharantaſia, Altiſiodorenſis, Bonaventura, Gandiavus & Scotus.

Circa ſecundum punctum, quem ſupra diximus eſſe catholicum, videlicet, quòd humanitas Chriſti non eſt homo, nec eſt res per ſe exiſtens, aſſumit dictus M. Johannes, quòd hæc ſit falſa, B. Virgo habuit duos filios. Dicimus quòd ipſa non eſt ſolum falſa ſed hæretica, quia B. Virgo nunquam habuit aliquem filium quam Chriſtum, de quo B. Auguſtinus in Libro de Fide ad Petrum ſic ait: Non dicimus Chriſtum duos filios ſed unum eundemque filium. Idem dicit in Libro de Eccleſ. Dogm.

Dogm. Item intentionem dictis ſanctorum declaramus, id quod dicitur in 3. puncto, videlicet Chriſtus eſt filius B. Virginis, eſſe verum & catholicum dictum, quia dicit Auguſtinus in Libro de Fide ad Petr. c. 4. in principio: Pater Deus de ſui natura genuit Deum filium ſibi coæqualem & coæternum, idemque unigenitus Dei filius ſecundo natus eſt, ſemel ex patre & ſemel ex matre. Item Damaſcenus in III. Confitemur Chriſti duas nativitates, unam quæ eſt ex patre æternam, & unam quæ eſt ex matre in ultimis temporibus propter nos. Et etiam in Symbolo Athanaſii plane continetur, & ideo ſecundum nativitatem æternam Chriſtus eſt filius Dei, ut de hoc tota Scriptura plena eſt, & ſecundum nativitatem temporalem idem Chriſtus eſt filius B. Virginis, ut patet ſpecialiter in Epiſtolis B. Cyrilli ſub Anathemate approbatis & Synodo Epheſina.

Circa tertium punctum dicitur, quod Chriſtus non ſit compoſitus ex Deitate & Humanitate. Dicunt DD. communiter, quod proprie loquendo hoc ſit verum. Et aſſignat rationem S. Thomas ſuper III. Diſt. 6. dicens, quod perſona Chriſti non ſit compoſitum loquendo proprie de compoſitione,

ſitione, quia eſt æterna & ſumme ſimplex, & ideo ratione tam æternitatis quam ſimplicitatis repugnet, quod ſit compoſitum, pars aut componibile. Concedit tamen S. Thomas, quod perſona Chriſti ſit compoſitum large capiendo compoſitum ſecundum expoſitionem iſtam nominis compoſitum, i. e. quaſi cum alio poſitum. Et Alex. de Hales in III. Parte in Quæſt. Utrum humanitas Chriſti ſit pars perſonæ, dicit, quod proprie loquendo non ſit dicendum, humanam naturam eſſe partem Chriſti, ſecundum rationem Auguſtini, quem Magiſter allegat in III. Diſt. 6. Et ideo Bonaventura circa Diſt. 6. Libri III. Q. 2. magiſtraliter ſic diſtinguit: Compoſitio uno modo, ſcil. proprie, dicitur unio aliquorum habentium mutuam inclinationem ad conſtitutionem tertii. Et hoc modo perſona Chriſti non eſt compoſitum, quia ad hoc multa ſequuntur inconvenientia, ſcilicet quod iſta perſona eſſet mutata & imperfecta & quod eſſe temporaria in eſſe producto. Et etiam quod non communicarentur ydeomata, quia Chriſtus non poſſet dici homo neque Deus, ſicut caro non dicitur homo neque anima. Alio modo compoſitio large dicitur quaſi cum alio poſitio, ſic perſonalis unio dici poteſt com-

compoſitio. Et ſubdit Bonaventura, quòd quia verbum compoſitionis in propoſito eſt calumpniabile, pro eo quòd compoſitionis vocabulum conſuevit capi primo modo, ideò DD. temporis præſentis ſenſum ſecundæ acceptionis retinent, declinantes compoſitionis vocabulum. Et ergò reputamus, probabiliter & ſine errore dictum, quod præmiſſum eſt, ſcil. Chriſtum non eſſe compoſitum ex Deitate & Humanitate. Ex quo conſequenter hoc quod circa puuctum 3. præmiſſum ultimo loco aſſumitur, videlicet quòd iſta duo deitas & humanitas non ſunt DEus, probabiliter & ſine errore dictum & à doctorum ſententiis non diſſonum reputamus. Communiter enim Doctores circa Diſt. 6. tertii libri dicunt, quòd natura divina & humana, ſcil. Deitas & Humanitas non ſunt DEus, & quòd DEus vel Chriſtus non ſit duo neque plura, neque duæ naturæ, nec ipſæ naturæ, ſcil. divina & humana. Licet concedant, quòd Chriſtus habeat duo, ſcil. naturam divinam & humanam. Sic conſimiliter concedunt, quod Chriſtus habeat plurà & quòd Chriſtus ſit plurium. Hæc eſt concors intentio & expreſſa ſententia S. Thomæ, Alexandri de Hales, Scoti & Ruperti circa Diſt. 6. alliga-

ligatam. Unde etiam manifeſtum videtur, quod ſine errore dictum eſt, quod iſta 4. in Chriſto, corpus ſanguis, anima & Deitas non ſunt DEus neque Chriſtus, ſicut rectè & verè in ipſo inſtrumento præſentato continetur. Adque declarandum ſic arguit Bonaventura: Si duo vel plura eſſent Deus vel Chriſtus, quæro quæ duo, vel duæ naturæ vel duæ perſonæ? Non duæ naturæ, quia Chriſtus non prædicatur de natura humana; nec duæ perſonæ, quia Chriſtus eſt ſolum una perſona, per Athanaſium in Symbolo! Non duo tamen ſed unus eſt Chriſtus. Si enim Chriſtus eſſet duæ perſonæ, tunc non eſſet duarum naturarum Chriſti unio in perſona. Idem dicit Boëtius in Libro de duabus naturis & una perſona Chriſti. Et oppoſitum eſt error Neſtorii hæretici olim epiſcopi Conſtantinopolitani.

Quartus punctus principalis in dicto inſtrumento contentus fuit iſte: Nulla creatura eſt adoranda adoratione quâ debet DEus adorari, ſcil. adoratione latriæ. Ad cujus declarationem decrevimus præmittere aliqua circa ſpecies ſive modos adorationis. Pro intellectu dicendorum attendantur duæ ſpecies adorationis, ut colligitur ex gloſſa ordinaria ſuper 10. verbo Pſalmi 98.

Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt, videlicet latria & dulia. Subdividitur autem dulia in duplicem ſpeciem. Eſt enim dulia minor quæ dicitur communis dulia, & eſt dulia major, ut habetur ex Gloſſa 1. Reg. 8. cap. & hæc dulia major ſecundum DD. dicitur ypperdulia. Latria cultus ratione ſummi dominii, majeſtatis & omnipotentiæ ſoli Deo creatori debetur. Colligitur id ex Gloſſa Ord. Pſalterii Pſalmo 98. ſuper 10. v. Exaltate Dominum DEum noſtrum, & adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam ſanctum eſt. Quæ Gloſſa ſic dicit, quòd ſcabellum ejus ſit terra, juxta id Yſ. ultimo: Cœlum mea ſedes, terra autem ſcabellum pedum meorum. Ubi per cœlum intelligitur Chriſti omnipotens divinitas & ſumma majeſtas, per terram autem caro Chriſti, de qua dicit Gloſſa ibidem, quòd ipſa ſine impietate adoratur à nobis, non illa adoratione quæ latria dicitur & ſoli creatori debetur, ſed dulia majori quæ debetur excellenti creaturæ, qualis eſt Chriſti humanitas. Et loquitur Gloſſa ibidem de carne Chriſti ſecundùm ſe conſiderata, & ſimiliter loquitur de latria principaliter alicui propter ſe exhibenda, ut infra patebit. Dulia vel eſt reverentia, quæ com-

communiter debetur omni rationali creaturæ, ſed ypperdulia, quæ debetur creaturæ excellenti. De iſta majoris adorationis tractans B. Auguſtinus X. de Civ. Dei cap. 1. ſic dicit pro declaratione ſententiæ præmiſſæ: Latria ſecundum conſuetudinem, qua locuti ſunt, qui nobis divina eloquia condiderunt, ſemper ea ſervitus dicitur, quæ pertinet ad colendum Deum, & licet talis cultus alio nomine dicatur euſebia, tamen ut diſtinctio certior appareret, dicit ibidem Auguſtinus, quòd aliqui cultum illum non euſebiam i. e. bonum cultum, ſed theoſebiam i. e. Dei cultum dicere maluerunt. Et ſubdit Auguſt. de latria ibidem dicens: Cultus iſte debetur ei qui facit ſuos cultores beatos. Item de dulia idem ibidem ſic dicit ad propoſitum: Servitus autem quæ debetur hominibus, ſecundum quod præcipit Apoſtolus, ſervos dominis ſuis ſubditos eſſe debere, alio nomine & græcè ſolet vocari dulia. Item de iſta majoris adorationis conſonanter ad ſententiam præmiſſam tractat Gloſſa ordinaria ſuper iſto verbo Matth. 4. cap. Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies, quod ibid. de latria gloſſa intelligit & exponit. Et S. Thomas ſuper Matth. in eod. cap. 4. indu-

cit Auguſtinum in de Civ. Dei ſuperius allegatum. Ex præmiſſa conſideratione ſententiis Doctorum innitente dicimus & declaramus, quòd nulla creatura ſecundum ſe conſiderata eſt adoranda adoratione latriæ, quâ Deus debet adorari, ymmo humanitas Chriſti, de quâ magis videtur, ſive partes humanitatis Chriſti, ſcil. corpus Chriſti vel anima Chriſti, ſi per ſe conſiderata fuerint, aut prout per ſe conſiderantur, non debent adorari hujusmodi latriæ adoratione, quamvis humanitas Chriſti ut unita filio Dei, ſimiliter corpus Chriſti & ejus beata anima, prout eodem filio ſunt unita, poſſunt & debent in filio Dei & cum ipſo ead. adoratione ſcil. latriæ adorari, juxta determinationem in V. Synodo, ubi contra eos, qui dixerunt, Chriſtum propter duas in eo naturas non una ſed duabus adorationibus adorandum eſſe, ſic dicitur: Anathema ſit, qui dicit, Chriſtum Verbum incarnatum non una adoratione cum propria ipſius carne adorandum, ut allegat S. Thomas in III. Parte & 25. Quæſt. artic. 1. in ratione ad oppoſitionem. Habetur & hoc manifeſtè ex ſententiâ Auguſtini de Verbis Domini omelia 58. Tractans. Id. Joh. 14. Non turbetur cor veſtrum, ubi ſic ait Auguſtinus:

nus: Dicunt hæretici, filium non natura eſſe Deum ſed creaturam. Quibus reſpondendum eſt, quia ſi filius non eſt Deus natura ſed creatura, non eſt colendus omnino, nec ut Deus adorandus, dicente Apoſtolo: Coluerunt & ſervierunt potius creaturæ quam creatori. Sed illi ſcil. hæretici adhuc replicabunt & dicent: Quid eſt, quod carnem ejus, quam creaturam eſſe non negas, ſimul cum divinitate adoras, & ei non minus quàm divinitati deſervis? Reſponſio Auguſtini: Ego dominicam carnem ymmo perfectam in Chriſto humanitatem ideo adoro, quia à divinitate ſuſcepta & deitati unita eſt, ut non alium & alium ſed unum eundemque Deum & hominem filium Dei eſſe confiteor. Denique ſi hominem i. e. humanitatem ſeparaveris à Deo, illi nunquam credo nec ſervio, videlicet ut Deo, velut ſi quis purpuram vel regale dyadema jacens inveniat, nunquam eam conabitur adorare, cùm eâ autem Rex fuerit indutus, periculum mortis incurrit, ſi eam quaſi cum Rege contempſit adorare. Ita etiam in Chriſto Domino humanitatem non ſolam vel nudam ſed divinitati unitam, ſcil. unum filium Dei Deum verum & hominem verum ſi quis adorare contem-

pſerit, æternaliter morietur. Idem etiam Auguſtinus ſuper 10. verbo Pſalmi 98. Adorate ſcabellum pedum ejus &c. ſic dicit: Sciendum quod in Chriſto terra, i. e. caro, quæ ſine impietate adoratur, ſuſcepit enim de terra terram, quia caro de terra eſt, id eſt de carne Mariæ carnem accepit. Hæc ſine impietate à verbo Dei aſſumpta adoratur à nobis. Quia nemo carnem ejus manducat, niſi illam prius adoret. Et ſubdit Auguſtinus: Sed qui adorat, non terram intuetur, ſed illum potius cujus ſcabellum eſt, propter quem adorat. Idem in ſummâ Johannes Damaſceni in 3. Sententiarum de Chriſto ſic dicit: Caro itaque ejus ſecundum quid eſt ejus, naturam ſi dividas ſubtilibus intelligentiis, ſi adorabilis eſt, ſcil. latria ut creatura unita autem Dei verbo propter ipſum & in ipſo adoratur. Quo enim modo Rex nudus adoratur & indutus purpura, & nuda quidem purpura conculcatur & proicitur, regale autem indumentum facta honoratur & glorificatur. Et infra ſubdit de carne Chriſti dicens: Ita ſecundum ſui ipſius quidem naturam non eſt adorabilis. Adoratur enim in incarnato verbo Dei, non propter ſeipſam ſed ſecundũ unitam ei ſecundũ yppoſtaſin Dn. verbum, non dicimus,

cimus, quoniam carnem adoramus puram ſed carnem Dei ſcil. incarnatum Deum. Item idem in eodem ut Magiſter allegat in III. Diſt. 9. Duæ ſunt naturæ Chriſti, ratione & modo differentes, unitæ verò ſecundum hypoſtaſin. Unus igitur Chriſtus eſt Deus perfectus & homo perfectus quem adoramus cum Patre & Spiritu S. unâ adoratione, incontaminata carne ejus non inadorabilem carnem dicentes, Adoratur enim in una verbi yppoſtaſi, non creaturæ venerationem præbentes, non enim ut nudam carnem adoramus, ſed ut unitam divinitati, in unam yppoſtaſin Dei verbi duabus reductis naturis. Et ponendo exemplum ſubdit: Timeo carbonem tangere propter ligna & copulatum ignem, adoro Chriſti mei ſimul utramque naturam propter carni unitam Deitatem. Item pro Declaratione præmiſſa facit S. Thomas in 3. Parte Summæ Quæſt. 25. Art. 1. dicens, quòd adoratio latriæ, non exhibetur humanitati Chriſti ratione ſui ipſius, ſed ratione Deitatis cui unitur. Concordat Altiſiodorenſis in Summa Lib. III. dicens: Duæ ſunt oppiniones, una quæ dixit, quod caro Chriſti ſit adoranda latria; alia dixit, quòd dulia. Et ſubdit, dicens, quòd iſtæ duæ

oppiniones poſſunt reduci ad concordiam. Ut illa quæ dicit, quòd caro Chriſti ſit adoranda latria, loquatur per accidens; alia quæ dicit, quòd dulia, loquatur per ſe. Et ſubdit: dicimus enim, quòd caro Chriſti adoranda eſt tantùm dulia per ſe, ſed latria per accidens. Et ſecundum hoc exponit idem auctoritatem Damaſceni proximè inductam. Item Alex. Alenſis in 3. Parte in materia de præceptis Decalogi, ubi determinat illam Quæſtionem: Utrum eâd. adoratione adoretur Chriſtus ſecundum divinitatem & humanitatem? ſic dicit ad propoſitum: Reſpiciendo unitatem perſonæ Chriſti una eſt adoratio, reſpiciendo diverſitatem naturarum differens eſt adoratio. Divina enim natura ſemper adoratur latria, humana in ſe conſiderata ſemper dulia, quia ſanctum ſanctorum. Conſiderata verò ut divinitati unita adoranda eſt latria extenſo nomine latriæ. Concordat Hainricus de Gandavo. Item Albertus circa 9. Diſt. tertii dicit, quod cum caro Chriſti adoratur, adoratio non conſiſtit in carne, aut in natura humana per ſe, ſed refertur ad unitam ſibi naturam divinam. Concordat Bonaventura circa eand. Diſt. in 1. Q. ſic dicens: Caro Chriſti

ſti nunquam eſt ſeparata a verbo, ideo ſemper eſt adoranda latria, licet humanitati ut per ſe conſideratæ nunquam debeatur niſi dulia. Et in fine quæſtionis concludit: Nos qui debemus adorare non debemus aſpicere ad ejus humanitatem ſed ad perſonæ dignitatem. Concordat Petrus de Alvernia circa Diſt. eand. dicens, quod ſi adoratur caro Chriſti ut unita, eſt adoranda eadem adoratione cum verbo, quia cum adoratur perſona per ſe, per accidens adoratur, quicquid habet in ſe. Concordat Rubertus circa eandem Diſt. ſic dicens: Latria debetur per ſe ut principali objecto ſoli Deo, ſed per accidens humanitati Chriſti propter unionem. Concordat etiam Scotus, Durandus & Egidius. Ex præmiſſis patet, quid de virtute ſermonis ſit ſentiendum de iſta: Nulla creatura eſt adoranda adoratione latriæ, qua Deus eſt adorandus, ſcil. latria adorationis, quam non reputamus erroneam, quia adoratio quâ Deus debet adorari eſt latria, qua Deus per ſe & in ſe & propter ſe debet adorari. Sic nulla creatura debet latria adorari, quem ſenſum concluſio propoſita ſonare videtur, licet creatura aliqua ut divinitati unita ſit adoratione latriæ adoran-

da per accidens, ut corpus autem caro Chriſti, anima Chriſti autem tota humanitas Chriſti, quæ non per ſe aut in ſe nec propter ſe, ſed tantum in verbo, cum verbo, & propter verbum ſit adoratione latriæ adoranda. Ex quo ſequitur, quod illa propoſitio, Corpus Chriſti non eſt adorandum adoratione latriæ, de virtute ſermonis non eſt hæretica, eo quod nec per ſe nec in ſe nec propter ſe ei debetur latria, cum corpus Chriſti, ut promittitur, non ſit Deus ſed creatura. Dicimus tamen reſumendo quod corpus Chriſti, prout verbo unitum, ſit per accidens latria adorandum, quia in verbo, cum verbo, & propter verbum adoratur. Ex præmiſſis igitur inſtruendi ſunt vulgares, quod in adoratione ſacramenti altaris reſpectum habeant ad Chriſtum verum Deum & hominem verum, quiin ſacramento ipſo veraciter continetur.

Quintus punctus principalis, qui in ipſo inſtrumento continetur, eſt ille, quod hoſtia conſecrata non eſt Deus. Dicimus & declaramus, quod licet in dictis ſanctorum & in Scriptura hoc nomen hoſtia ſæpe inveniatur ſtare pro Chriſto, juxta illud ad Epheſ. quinto: Chriſtus dilexit nos & tradidit ſeipſum oblationem pro nobis & hoſtiam

ſtiam Deo in odorem ſuavitatis. Et ad Hebr. octavo, cum multis in ſcriptura ſimilibus; tamen quia ut circa punctum iſtum in inſtrumento continetur, M. Johannes dictus dicit, ſe per hoſtiam conſecratam intelligere accidentia quæ ſunt in pane, reputamus ad hunc intellectum punctum iſtum eſſe verum & ſine errore dictum. Præſertim cum talis modus loquendi de hoſtia conſecrata non ſit fictus nec noviter adinventus, ſed aput DD. ſolennes & reputatos in materia ſacramenti altaris plurimum uſitatus. Nam S. Thomas & Petrus de Tharantaſia circa Diſt. 4. 4. dicunt de hoſtia conſecrata, quod ipſa integra remanente aliquo modo corpus Chriſti eſt ſub partibus hoſtiæ, & totus Chriſtus in ſingulis partibus diviſis & non diviſis, ubi expreſſe per hoſtiam conſecratam intelligunt ſpecies ſeu accidentia quæ ſunt ipſius panis ante conſecrationem, videlicet de verbis propoſitis. Et communiter DD. circa Diſt. 12. Quarti, ubi Magiſter tractat de diviſione hoſtiæ conſecratæ, utuntur hoc complexo, hoſtia conſecrata, pro ſpeciebus ſeu accidentibus, nam dicunt hoſtiam conſecratam frangi & dividi. Corpus autem Chriſti ſub ipſis ſpeciebus contentum non frangi

nec

nec dividi realiter. Nec obſtat confeſſio Beringarii, quam etiam Magiſter recitat & exponit eâd. Diſt. Et habetur de conſecratione Diſt. 2. Ego Beringarius. Eccleſia enim recipit confeſſionem Beringarii ad elidendum errorem ſuum, qui non concedit corpus Chriſti vere ibi eſſe niſi ſicut in ſigno. Unde recipitur ejus confeſſio, ut intelligatur in ſacramento altaris corpus Chriſti vere eſſe, non tamen vere & realiter dividi. Et revera eſſet enormis error, credere quod corpus Chriſti in ſacramento realiter divideretur aut frangeretur. Et ideo Gloſſa ordinario in Decreto ſuper eandem confeſſionem dicit, quod niſi lector recte intelligat confeſſionem Beringarii, in majorem incidit hereſim quam ipſe. Unde etiam verum & katholicum putamus, quod circa hunc punctum communiter dicitur, quod Deus eſt ſub hoſtia conſecrata, & corpus Chriſti, & anima ejus, & quod hoſtia dividitur in 3. partes, & nullum prædictorum dividitur in 3. partes, ideo nullum prædictorum realiter dividitur. Item quod illa 4. corpus, ſanguis, anima Chriſti, & Deitas non ſunt Chriſtus nec Deus, declaratum eſt ſupra circa 3. punctum principalem. Item quod dicitur circa hunc punctum,

ctum, quod accidentia viſa non ſunt corpus Chriſti, plane verum eſſe aput omnes reputamus. Item ſicut in inſtrumento continetur, quod tutius dici videretur propter ſimplices, Credis hic eſſe corpus Chriſti ſub ſpeciebus panis, ex determinatione Eccleſiæ in Canone Cum Marthæ de celebratione Miſſarum, & ex dictis DD. noſtrorum rationabiliter dictum reputamus, quia venerandiſſimum ipſum altaris ſacramentum dicitur miſterium fidei, quoniam aliud ibi creditur quam cernatur, & aliud cernitur quam credatur. Item in inſtrumento dicitur, quod tanta veneratio debetur calici conſecrato ratione contenti ſicut hoſtiæ conſecratæ nullus fidelium debet dubitare, quia ſub utraque ſpecie eſt totus Chriſtus, ut declaratum eſt ſupra circa punctum principalem de corpore Chriſti, & Magiſter determinat hoc expreſſe in Diſt. quinta quarti. Ultimo de iſta dubitatione: Utrum Chriſtus in ſua reſurrectione reſumpſerit totum ſanguinem? recitat dictus M. Joannes unam opinionem, quod ſic; aliam quod non. Circa quam dubitationem dicimus ſecundum Doctores, quod in Chriſto ſurrexit totum quod fuit de veritate humanæ naturæ & quod ſpectat ad ejus decentiam

tiam. Ideo ſecundum Auguſtinum, quem ad hoc allegat Magiſter in 12. Diſt. quarti, dicitur de Chriſto, quod manet integer totus in cœlo. Sed objiciunt aliqui dicendo, præputium Domini adhuc eſſe in terra, & aliqui dicunt ſe habere de ſanguine Domini. Reſpondet Bonaventura circa eandem Diſt. dicens, quod vel præputium non fuit de carne ſecundum ſpeciem, vel divina diſpoſitione pars de carne ſecundum materiam ibi fuit, ut donetur nobis in devotionem ſicut reliquiæ. Sic dicendum eſt de ſanguine, quod vel aliquid fuit de veritate & id ſurrexit cum Chriſto & eſt in cœlo & reſiduum manſit. Aliqui tamen Doctores dicunt, quod circumciſi reſurgant ſine præputio, quia ut dicunt id ſignaculum eſt ad decorem. Et concludit ille Doctor, dicens, quod autem horum ſit verius difficile eſt ſcire, & ideo quod in inſtrumento dictum eſt circa dubitationem iſtam probabile reputamus.

De quibus omnibus & ſingulis præfatus Dn. & Mag. Conradus Zolthou pronuntians & declarans ut præmittitur ſuo & prædictorum S. Theologiæ Profeſſorum nomine petiit, per me Notarium Publ. infra ſcriptum

ſcriptum fieri & confici unum vel plura inſtrumentum &c. Quod quidem publicum inſtrumentum hujusmodi ſupra ſcriptam declarationem in ſe continens præfati Domini & Magiſtri S. Theol. Profeſſoris diſpoſuerunt ſigillo Univerſitatis Studii Pragenſis appenſione communiri, in fidem & teſtimonium omnium præmiſſorum.

Acta ſunt hæc Anno, menſe, loco & Pontificatu quibus ſupra.

VIII.

JULII CÆSARIS SCALIGERI EPISTOLÆ NONNULLÆ (a) e MSto BIBLIOTHECÆ ILLUSTRIS ZACH. CONRADI AB UFFENBACH REIP. FRANCOF. CONSULIS.

I.

Julius Cæsar Scaliger iis, qui suffurati sunt Orationem adversus Erasmum Roterodamum pro M. T. Cicerone, quam miserat Collegio Navarrensi cum caeteris omnibus Collegiis communem, una cum literis ad eadem Collegia datis & ad Rectorem aliquotque alios doctos Viros.

HActenus ignoravi, nostros labores esse tanti, ut ipsis invideretur, praesertim ab iis, qui publice adolescentes optimae spei atque frugis moderantur.

(a) Priores extant Tom. VI. p. 508. sqq.

rantur. Perſvaſum enim erat mihi, tales eſſe Praeſides ſtudiorum veſtrorum, quales eorum librorum ſcientiae, quos profiterentur. Quibus omnibus ita praecipitur, uti ne quid gloriae cuipiam praereptum eas: neve animi vitio transverſos agat ambitio, aut gratia, quae ſaepenumero veritatem oppreſſam habent. Verum nunc aliter multo eveniſſe intelligo, qui perfidiae quorundam obnoxius, munificentiae ſingularisque benevolentiae meae erga ſtudioſos, impuris aliquot alienae virtutis inſidiatoribus immeritas poenas dem, tametſi non ſic abibit. Adſunt enim aliunde firmiſſima praeſidia Studioſis, quam penes arrogantiam quorundam ſemidoctorum, qui ſummum bonum literarum in unius venefici nomine ac perverſae doctrinae hominis eſſe voluerunt. Nam quid eſſe dicam, ut ne minimo quidem reſponſo literas meas dignati ſitis? Scilicet vulgaris eſt eruditio noſtra, barbara facundia, qualis plurima apud multos ſimiolos, quos, cum opportunum fuerit, nominabo, reperitur: ſcilicet ea, quae â me in Ciceronis defenſionem dicuntur, antequam â me dicta eſſent, noverant ii, qui per invidiam atque ſcelus ſuffurati ſunt. Quos tantum abeſt, ut di-

cum, ea comperta habere, ut ne nunc quidem, quibus ê fontibus hauſta ſunt, quove librorum ſinu educata, ſciant. Sed vicit naturae pravitas, quae optimâ inſtitutione interdum propulſata, recurrit tamen. An vero dicam vobis ignobilitatem meam deſpectui eſſe? At quis veſtrum Scaligerorum gentem gloriâ, ſplendoreve, aut animi magnitudine, aut rebus geſtis anteibit? Quod vero ad me tanti nominis attinet ſucceſſorem: ſi mea fortuna me apud vos abjectum reddit, quod ter profugus alienas ſedes quaerere coactus fuerim, unusquisque veſtrum ita cum ſuo animo reputet, non tanti eſſe cujusque fortunas, ut ab alienis bello appetantur: tum neminem indigniorem eſſe adverſo fato, quàm is, qui identidem non ſolum conſiliis, verum etiam armis extremum rei eventum expertus eſt. Superſunt quamplurimi meorum commilitonum, hujus gloriae non ſocii ſolùm, verum etiam participes: aliquot autem non ductores ſolùm, ſed etiam ducti, quorum praeſentiſſimis teſtimoniis ex immanium belluarum faucibus eripi poſſum: qui etiam ſi fato conceſſiſſent, tamen & cicatrices meae oblivione veſtrâ deleri poſſunt? Et unus aut alter febriculoſus paedago-

dagogus contemptui habebit eum, cujus patrem in consiliis habuit Caesar Maximilianus primus, mox etiam Ludovicus ultimus multis honoribus prosecutus est? Nam de me ipso ut taceam, videor tamen â nobilissimis Viris doctissimisque posse connumerari inter puerulos illos â quibus quotidianis convitiis & plagis certum pensum operamque exigitis. Sed animadverto, duram causam meam malam haberi, quod in Erasmum invectus sum vestrum quorundam ducem atque autorem novae cujusdam eloquentiae, quae sine titulis seipsam sponte prodit peregrinam. At is, si nobis praeluxit ad eas intemperies, quas aliquot caeterorum Collegiorum boni doctique Viri, multoque, quam vos, meliores, publicis damnarunt suffragiis, non propterea novi erroris ejusdem propter nominis gratiam sunt defendendi, sed propter errores ipse condemnandus. Non ego vos elegi judices, qui bonorum Virorum vigilias oblivionis nocte conculcatis, qui meritas laudes optimo cuique invidetis, qui nefarios homines ignobiles semidoctos pro Diis colitis. Falsus est tabellarius meus nova ista facie nebulonum, quorum superbia seipsam capere non potest. O spes meas inanes,

qui putarim, fatorum meorum ſeriem interruptam, ut ab ruſticis, â vulgo, ab indoctis agnoſci inciperem. En quo reciderunt cogitationes tuae Juli. Quo deventum eſt, ut qui M. Tullii cauſam defenderas, vices tuas deplorares. O quaenam unquam ſatis conqueſtio eſt ad tantam injuriam, ut praeſens non oſtendam, qui ſint ii, quorum perfidia humanitati meae ſuperfacta eſſe debuit. At adero, ſive corpore opus eſt, ſive ſcriptis, non deero. Luenti mihi poenas peſſimi furis: dilaceratosque atque proceſſos opprimam animi mei praeſentiâ atque acie orationis meae, quam vobis formidoloſam ubi ſemel intentaro, jam tum ſentietis, quicum vobis res ſit: qui putaſtis uno incercepto exemplari, totam lucubrationum mearum memoriam ſublatam eſſe. Legetur vobis invitis, atque ita legetur, ut vos, quos Judices mihi elegeram, una cum facinoroſo reo, totius ſuffragiis poſteritatis infames atque damnatos ſentiatis. Valete.

II.

Julius Caesar Scaliger studiosissimis adolescentibus Collegii Navarrensis S. P. D.

SI mihi antehac compertum fuisset, quibus vestrum scribere instituissem, non nunc haec scriberem. Aut si tanta in turba scirem, ad quos potissimum literas darem, non hoc scriberem argumento. Nam quem accusem, quo me vertam, aut cujus praesidium petam? adolescentumne implorem fidem, quibus labores meos commendarem, quorum animos fac in me propensos esse ac saevitia inimicorum meorum dissimulatione oppressos esse oportet. An ad Proceres me convertam. At inter eos aliquot sunt, quae arrogantiae tumor aut aestus invidiae retraxit â portu veritatis. Interceptum exemplar orationis meae scio, quam pro Cicerone scripseram: sed, quam ob causam, nescio. Multae enim subsunt: quam autem suspiciam, neque possum nunc dicere, ita aequales inter se sunt, neque si possim libet. Ita quod ego factum indignum duco, ne factum quidem sperabam. Caeterum nobilitas

animi atque magnitudo inter paucos Viros bonos eſt. Caeteros ambitio aut gratia procul á vero averſos habet. Dicamne, fures illos Eraſmo transmiſiſſe, antequam ederetur, ut depravatis exemplis ſua libidine interpolarent? An eſt utile vos quisquam tam egregie Philoſophus, qui ſibi illam ſurreptam attribuere velit? an idem argumentum eloquentius ſeſe tractatuum ſperat? penes quem veſtrum ii ſunt calamiſtri, quibus orationis meae puritatem inurat, quibus inextus id gratum feci? An vero deſpecta vobis eſt, quod ab Ludovici ultimi Regis noſtri equite conſcripta eſt? An quod unius tantum Marte, tam varium negotium, tam exacte ſit expeditum? An ridicula illis viſa ſunt, quibus ad ineptias atque intemperias reſponderem? An ita Eraſmum defenſum atque abſolutum putarunt, ſi accuſatio interverteretur? Tam nobilem gentem, tam excellens Collegium, tam egregiam exiſtimationem, tam malo conſilio contaminatam, aequo animo ferretis? At ſi haec ita non ſunt, ſi penes vos exemplar eſt, ſi adhuc extat, quare non redditis, gratias acturi, ſi quid per me didiciſtis; ſin id ineptum viſum eſt, debituri mihi tantundem riſus, ubi collibitum

tum fuerit? Quod si tam despecta, spreta, contempta ea vobis oratio fuit, ut inter sordes cujuspiam literatoris sordescere passi sitis; at quare aliquo responso insciti am meam testati non estis? Scilicet is vobis videor, qui ne cum discipulis quidem vestris, quibus centies in die responsa datis, sim conferendus. Aperite mihi, ubi sim tam plumbeus. Etiam nunc convitiis vestris minor visus sum? Agite, si quem facinoris illius conscium verba mea stimulant, det rationem tam malae actae Reipublicae literariae, cujus opera jam eo res venerat, ut cognosceretur, Erasmus idolumne literarum esset, an Deus.

12.

Julius Cæsar Scaliger Arnoldo Ferrono S. P. D.

UTrum majus unus Clemens Lassus imposuerit opinionibus apud te mihi; an expectationis de me Tibi, haud satis compertum habeo. Illud quoque non ambigam, major ne amor illius fuerit, qui ea tibi de me in re literaria pollicitus sit,

quorum equidem magnitudinem, ne optare quidem unquam auſus fuerim; an humanitas tua, qui me obſcuri nominis hominem eloquentiſſimis litteris tuis, in amicorum tuorum lucem ultro evocaris. Caeterum utcumque ea res ſeſe habeat; ſi non illius opinioni reſpondere poſſim, at benevolentia ſaltem ita certare contendam, ut ea ipſa mihi haſce literas de manibus extorqueat, quas ambitio ulla numquam potuiſſet. Si non eloquentiae tuae parem eſſe liceat mihi, humanitate ſaltem non cedam, quae me in praeſentia ad ſcribendum Tibi ita comparabit, id quod nulla umquam confidentia valuiſſet. Quare aequum eſt vobis, aut mihi peccandi ignoſcere, aut vobis ipſis peccandi cauſam praebentibus, non ignoviſſe. Quid enim aliud uterque veſtrum quam eam ad operam impulit, quam ne ipſi mihi quidem facile praeſtare ſoleo, ut manus admoveam calamo? quem equidem ut conſpicio, ſane neque immerito neque fruſtra cohorreſco. Subit mihi veterum ſplendor monumentorum quibuscum ſi haec noſtratia conferantur, coenum profecto ſint. Obverſatur animo Romani imperii calamitas, quo per barbaros oppreſſo, quid miſerabilius nobis fuit, quam in patria

tria lingua esse peregrinos? Ostentat sese mihi ante oculos vestrum judicium, id est eruditorum, cujus censuram vel perditissimae impudentiae est, non pertinuisse. Atqui haec mihi omnia pacata atque gratiosa habeam, sive parem ingeniorum sortem nactus, sive fato aliquo fiat, ut forte evenit interdum, quo deterrimus quisque habet socios errorum suorum. At theatrum posteritatis, at subnascentis alterius mox saeculi alia ratio dicendi: ut mihi multo admirabilius videatur, si quis antiquis in lectionibus paulo uberius versatus audeat sese illorum vel umbram dicere assecutum. At nunc tanta colluvies scriptorum repente extitit, tanta in ipsis vel inepte quaesita vel naturâ insita, vel studiose affectata barbaries, ut inter tantam sperati nominis ambitionem olim mihi laudi datum iri sperarim, si memor literariae calamitatis, prudens imminentis periculi, conscius imbecillitatis meae, silentio vitam praeteriisse dictus essem. Caeterum scidit obstinatum pudorem hunc Erasmi impudentia, qui cum divinam eloquentiam, quam aetate florenti assequi non potuisset, senex desperasset, in aliis inventam laceraret, posteritati invideret. Quamobrem eam Rempublicam

labentem cum capeſſerem, ne diutius acciſis rebus noſtris inſultaret, obtuli me vindicem libertatis noſtrae, multo majore diſcrimine factioſorum, quam judicii periculo aut metu: Cujus eventum longe foelicius obtigiſſe, vidimus, quam tantae laudis obtrectatores minabantur. Cum enim initio profeſſus eſſem Eraſmi mea opera calumniae reſponſurum, irridere alii, alii ſtomachari, nonnulli etiam contumelioſa verba jacere. Quos ego virtutum mearum vomites dicam, an irritamenta potius ſemper judicabam ita, ſtudio incitatum, dignitate quoque ſua igneum alioquin animum meum ferocius, ut tam nobile facinus auderet, compulerunt celerrime, omniumque opinione citius ea confecta provincia, cum peſtilentia iter, quod Lutetiam inſtitueram, ubi eam cauſam dicerem, intercepiſſet: miſi ad Collegia ſcriptam orationem, ut, quod eorum commodis elaboraram, publicis omnium utilitatibus poſteri fruerentur. Perlata eſt, oblata eſt, itur in conſilium decernunt publicis edendam monumentis. Cui conſenſui cum factioſorum pauci reclamare non auderent, petunt, ut ſibi privatim perſpiciundae copia fiat. Datur, deſcribunt, mittunt clam ad

Eras-

Eraſmum. Is ea perlecta, per literas orare, obteſtari per omnia nova ſacra, quae in Rempublicam Chriſtianam invecta inter ſe communia habeant, ut ne in lucem prodeat. Eam gloriam, quam tot per annos ſummo labore partam cum complicibus ipſis communem haberet, unius juvenis ignoti, militis peregrini, flagitioſae factionis, acerrimi adverſarii opera, momento temporis, communi jactura extinctum iri: non magis eam rem ad ſe ſpectare, cujus multa alia monumenta legerentur, quam ad ipſos, quorum ſtudio & gratiâ Ciceronem laceraſſet. Proinde viderent, proſpicerent, aliquid convaſarent, ſupprimerent ſaltem orationem: interea aliquid futurum. Hominem vafrum aliâs unius modò viri congreſſu fractum, adeo animi amentes fuiſſe, ut unico intercepto exemplari, auctorem quoque ipſum de rebus humanis tolli poſſe putant?. Haec ad Idus Aprilis acta ſunt. Tabellarius meus credit. Narrat, quae in Concilio decreta ſint: adfert litteras ab amicis: in iis ſcriptum erat, omnia rectè atque ex ſententia: propediem orationem editam me viſurum. Interea factioſorum aliquot flagitia acribus exagitata judiciis, averſerant in ſe omnium animos

â memoria Orationis meae : cùm adverſarios noſtros ſperatae rei ſucceſſu laetos literae de improviſo meae, qui omnia ſuſpicarer, perculerunt. Expoſtulabam ego prudentiſſimè injuriam tantae ceſſationis, quod tamen furtum appellare jure poſſem : redderent exemplar meum : aut mecum ſupremi Senatus judicio experirentur. Ad Calend. Septembris multis quaeſtionibus atque conviciis vix tandem reddita eſt : expreſſae cauſae ſuppreſſionis. Edita eſt tanta omnium illorum conſternatione, ut cum Eraſmus etiam adverſus barbarum ſilentium vocaliſſimus ſit, etiam iis reſpondeat, quibus praeter linguae barbariem, nihil quod objiciat, habet, â me uno tot annis neſcio quo ſidere perculſus, abſtinuerit. Arbitror ſenem multarum rerum uſu atque memoriâ inſignem ita arbitrari, ſe magnam mihi debere gratiam, cujus operâ reſipuiſſet : ita judicium meum perinde atque rectum ac juſtum, perpetuo ac pertinaci ſilentio comprobare. Habes, Ferrone, rationem conſilii mei, quo me ad ſcribendum accingerim, qui ab ea gloria non abhorrentem ſanè, aut averſum, ſed ei laudi imparem meipſum judicaſſem. Qui igitur ad doctos Viros, qualis es tu,

prior

prior non ſcribam, prudentiae mihi aſcribi debet, qui ſcribentibus reſpondeam, non levitatis, cùm ſilentium adeo laudarim, ſed humanitatis eſſe intelligant. Cujus laude cum me cumulatiſſime oneras, optime Vir, multo magis Tibi debeo, quàm mihi ipſe. Quippe tuo judicio id de me poſteritas credet, quod ego nondum praeſtiterim. Quod autem de amicitiae auſpiciis noſtrae ſcribis, id tibi velim perſuadeas, numquam mihi quidquam ſanctius fuiſſe iis ſtudiis, quae per ſeipſa optima, ex ſeſe tam inemorabilem fructum edunt amoris mutui, ut vitae quoque pignora communia habeantur. Vale Nonis Febr.

13.

Julius Cæſar Scaliger Arnoldo Ferrono S. P. D. Toloſam.

ERgo te commotum ceſſatione noſtrâ, quibus artibus reconciliabo? Reſarciamne damnum literarum taedio? At id neque orationis inopia, neque judicii tui metus patitur; multò verò minus ingenium meum, quod vehementer abhorret ab inani ſtrepitu, arceſſitaque oſtentatione,

quam

quam Cicero tuus, atque utinam noster, ut rectè inepti nomine circumscripsit, ita minus tutò negabit voce carere curatâ, cum tamen verissime gentem illam eo vitio nequaquam carere praedicaret. Id ne mihi curae sit, ut aures occupem, otio tuo literatissimo abutar, delassem operas amanuensis mei; quo mihi sumam nomen aut eloquentiae veteris illius, aut secretioris eruditionis. Equidem malim tacendo fateri, nihil esse, quod scribam, quàm scribendo indicare, ne aliena legisse, quae transcriberem; ut haud ferè quidquam tegamus eorum monumentorum, quae nostrâ eduntur tempestate, ubi non aliquid Graecarum literarum inter textum offendas: nulla epistola circumferatur, quae non vulgatos jam centones oleat proverbiorum. Haec itaque in causa sunt, quo minus officio me tibi mihique simul satisfacerem: Materia deerat: aliena describere puditum est. An vero tibi occupationes nostras? non puto, cùm tanto Viro, tam insigni eruditione, eloquentiâ, fide, pietate in mentem venerit, alienam mihi vitam creditam, totam Civitatem commissam: libros verò meos, quos propediem Lutetiam mitterem, etiam cibum, etiam somnum inter-

intercipere. Quid horum potiſſimum incuſes, ſi translatitio utar ſtatu? Nuncios quoque adferam ad cauſam hanc pro me dicendam, Vos enim infrequentiores eſſe ſcito, quam ut commode noſtrae expectationi reſpondere poſſint. Itaque futurae fortunæ ſpe fretus, etiam deprecatione utar; quippe huc iſthinc nunquam non praeſtò ſunt, qui iter faciant. An tu aeque adverſo fluvio atque ſecundo curſum celerem frequentemque tenere nos poſſe putas? Nequaquam tantundem diſtare Lugdunum Toloſa, atque hanc ab illo abeſſe ſcito. Quare cùm tu ad me iterum, ego ad te ſemel tantum ſcripſerim, multò frequentiore officio uſus mihi videor. Quae ratio tantò minus abs te refellenda eſt, quanto acrius pro te deinceps ſtabit, qui eodem loci, fluviique ſtatu proportioneque in poſterum es uſurus. Quae ut intelligas ita eſſe, tum ex nuncii celeritate, tum etiam ex epiſtolae prolixitate compertum tibi eſſe poteſt: quae ut neceſſaria eſt duabus tuis reſpondendo, ita me non minimo taedio affecit. Ad alteras igitur prius, ad priores poſtea: quamquam ita conjuncta eſt expoſtulatio tua cum meritis prioris officii, ut utrumque ſimul agi poſſe commodius videa-

videatur. Quod ais te ſuſpicari, commotum me litteris tuis, cum tu ipſe, id quod ego etiam magis, quam tu, ſentio, nihil non honorificum in illis ſcriptum eſſe fatearis? An quod Eraſmianorum pertinaciam oculis noſtris ſubjiciebant, quod me eorum calumniae admonebant, offenſae, ac non beneficii loco potius apud me id poni poſſe ſuſpicatus es? Quid novi de illis adferunt mihi, quod ego non praeviderim? quem metum poſt illata illis vulnera, poſt illorum acciſat ſpes, quem ego in procinctu non excuſſerim? Ardentes elatos triumphantes dejeci; exultantes oppreſſi: dejectos, oppreſſos expaveſcam. Eorum judicia, conſilia, facta diſtuli, diſturbavi: voculas pertimeſcam. Non ſunt, Ferrone, voces illae defenſionis in judicio, non in acie clamor alacritatis, ſed victorum luctus, morientium gemitus: quos ut fortis Viri eſt infligere, ita invicti contemnere, clementis non denegare. Qui ſive mali ſunt, nullus jam eſt illis autoritatis relictus locus, ſive boni; utinam quantum in ipſis bonis pietatis eſt, excuſando homini utcumque de ſe merito, tantum eſſet in illo meritorum, qui à bonis Viris excuſaretur: qui ſi per illum cultiores doctioresque effecti ſunt,

ſunt, atque hoc ita ei debent: contra nos, qui nullius, operae illius in rem literariam eguimus, nihil debere: eos etiam, qui etiam ſummo periculo pene effecti ſunt indoctiores, vel infenſos eſſe merito patiuntur. Non nunc primum agitur ea cauſa, merito ne ille coenum atque carnifex audiat: ſed cum id ageretur, ita debere audire, omnibus rationibus comprobatum fuit. An vero iſti divini Rhetores exclamationes ex ipſorum viſceribus rationum, argumentorum, probationum, ex ipſorum telonum acie fulnera facta negant? Non erit coenum, qui Religionem noſtram contaminabit? non apud haereticos puto. Non parricida qui prolem ſuam. Ciceronis, quem jugulat, profitetur? Non apud Barbaros cenſeo. Non erit monſtrum, quòd quaſi diverſis conflatum naturis, nequaquam ſibi conſtat? non apud judicio carentes arbitros. Non exclamandum erat adverſus hominem pium? non & quid adverſus eos ipſos, qui eum ita defendunt? Quid adverſus me ipſum, ſi id ita non egiſſem? nonne judicio illo cum ipſo nimis familiariter expertum eſſe oſtendiſſem? De re literaria verum meritum ajunt: ajo. De re literaria male meritum negant: ne-

go. At hoc ipſum eorum negare, nego. Quot à me errores adducti ſunt, quod ab ipſis defenſi? Quot in proverbiis â Viris olim doctiſſimis animadverſi? non in numeris librorum, ut ipſe verſutiſſime in poſtrema ſcribit editione? ſed in interpretationibus, in linqua Latina, in eruditionibus arcanis, quae ita eſſe, ut â me ſcribuntur, teſtes ſunt eorum reliquiae aliquot adhuc, quae lapſus illos vetuſtiores etiamnum ſperant. Quae tibi referam nunc deprehenſa in deteſtando commentario, quem linguam inſcripſit? quas labes in moria? quos lapſus, quam arrogantiam in ſacris literis, quas ê Graeco non vertit? Quae ſi quis non animadvertit ita, ut propterea admiretur, quoniam aliam â vulgo contextam hiſtoriam profitentur, ne obſecro eos inſectentur, quorum judicio prava illa caſtigantur: ſed gratiam habeant. Eruditionem meam laudant: non poenitet. Eloquentiam probant. Probant. Plus agunt quam ego. Quid enim ipſi dixerim, quod ipſe in alios non torſerit? Venena illius probant; tela mea non probant: Illum cum ſuſpiciunt, cum venerantur, cum divum, cum heroem vocant, ſi oppreſſum vident, non mirum eſt vociferari. Suam enim ipſi, non

non Eraſmi cauſam agunt. Quid enim inquiunt nobis fiet, qui ſecuti illum ſumus? ut enim laudis, quam illi impertiunt, conſortes ſunt, ita ejus, quae illi adimitur, parem jacturam patiuntur. Ciceronianos perſtringit; non Ciceronem deſcripſit: conſulantur vero Judices. Languida profecto ea in parte videbitur, oratio: ut ſi quis me non norit, vereor, ne aliquando me cum illo colluſiſſe ſuſpicetur. Quare aut obloqui deſinant, aut ſatis eloqui parent. Qui enim loquuntur, perſtrictos ſeſe ſentiunt, qui non defendunt, jugulatos. Nequit vulneratus animus obticeſcere: non audet oppreſſus contra ſtare. Itaque vel dicendo vel tacendo ſeſe victos fateantur, neceſſe eſt. Merita rurſus inculcant. At meritis fretus iis, ſi hoc tandem peccare maluit, nequaquam propter illa ab hoc abſolvatur. Nulla enim virtus praemium otiorum umquam fuit. At Ciceroni plurimum detulit alibi. Tanto hic damnandus magis, non ſolum quod perverſa utitur oratione, ſed etiam qui ſibi ipſi ut ſemper, ita hic quoque contradicit. Quod vero hortaris, ut hominem miſſum faciam, equidem gaudeo, gratulorque, plus in amico meo humanitatis eſſe, quam in inimico moderatio-

nis; pluris apud me eſſe. Optimi Viri conſilium, quam inituri hominis odium. Detur id virtuti tuae: detur lenitati meae, detur occupationibus noſtris. At non Theologorum veritati, non Philoſophorum ſcientiæ, non Romanorum eloquentiæ, non denique Grammaticorum formulis eripi poteſt, ut non nunc abſolutus, ſed poſteritati reſervatus eſſe videatur. Quamquam eſt mihi perfecta oratio, quo ruſticitati quorundam reſpondebam, qui ita dictitarent, Eraſmum â ſcribendo manum abſtinuiſſe, qui me indignum putaret, qui cum loqueretur. Qua voce ita illum ita ſeſe prodiderunt, ut eorum arrogantiam nulla umquam hominum memoria aequari poſſe judicetur. Regionemne, an nationem, an gentem meam contemnit? Quid illuſtrius Italia? quid nobilius tractu illo toto, qui â Brenno Gallorum Duce olim, fortiſſimis viris illuſtratus eſt? Quid antiquius, clarius, fortius, glorioſius gente Scaligero rum? quae cum ipſis alpibus Noricis orta atque aucta, omnium Thebanorum Spartos, omnium Arcadum proſolenos, omnium Athenienſium αὐτόχθονας, omnium Latinorum Spicos, Aborigenes, omnes Codros omnes, fabulas, omnem memoriam antiquitate ſua ſuperabit?

perabit? Gloriam rei militaris, magnanimitatem, virtutum omnium numeros eloquar? At me degenerem putat, at orationem meam imbellem, barbaram, ſordidum dicendi genus, illiberale, mores meos ruſticos, ineptos; animum trepidum, timidum, mollem, effaeminatum, ſervilem, fortunam exulis. Eſto, eloquentiam meam haud metuat, ſed deſpiciat, rurinatus ſum atque educatus, ac non in ſinu pene ſanctiſſimi atque fortiſſimi Imperatoris Maximiliani Caeſaris Auguſti: in umbra delituerim, ac non quinque juſtis proeliis interfuerim. Obtigerit mihi profugi ſors, quae maximo cuique Principi, Regique Italo. Sim vel ipſo Eraſmo ignobilior, ignavior, meticuloſior, nequior: ſi propterea me, cui reſpondeat, indignum putat: nec ipſe ſibi numquam reſpondeat, nunquam ſecum colloquatur. Vale.

14.

Julius Caeſar Scaliger Arnoldo Ferrono Attico S. P. D.

CAl. Jan. quo die ageretur annus 1535. cum non tam inditis lapillis tuis,

quam eloquentiae geniis xeniorum nomine donatus fueram, Sam projectus noster tum de reditu, tum de salute tua nuncium mihi attulit. Quâ Sane strenâ neque suaviore jucunditate, neque gratiore fructu ullam umquam cuiquam obtingere potuisse judico. Quid enim mihi vel jucundius, quam redintegrari vetera literarum commercia inter nos nostra? vel gratius, quam aut tam rari capitis absentis desiderio, aut amittendi metu carere posse? Itaque cum verba quaererem, quibus & gaudii mei exprimerem confessionem & Deo Optimo Maximo cujus beneficio tantum essem bonorum consecutus, gratularer: quae rem aequarent ipsam, nulla sane inveniebam. Vbi vero ille addidisset hoc quoque, te Senatorium in ordinem cooptatum, jam tum neque me potui continere, quin exclamarem, neque temperare animo, quin signa ederem recuperatae fortunae meae, quod tanto cum amico, tanta potentia tantaque auctoritas conjuncta esset. Quare mitius mecum post hac actum iri sperabam, qui hactenus nihil nisi triste metuissem. Vnum id angebat animi, (ut sese nostrae res pro humano captu dant nobis: nullam enim solidam aut gloriam aut fortunam evenire cuiquam

cuiquam videas) abs te ille nullas literas. Id quod ſi quis iniquius interpretetur, te elatiore jam animo exilium hoc noſtrum deſpexiſſe: quid reſpondeam vero tandem? Nam neque ullius temporis anguſtiis excludi, neque cujuſpiam nuncii celeritate urgeri poſſe clamites, tanta virum Solertia, tam prompto ingenio, tam apparatâ ſemper dicendi ſcribendique facultate. Deinde etiam epiſtolam jamdiu conſcriptam ad fortuitos nautarum deceſſus te habere debuiſſe, quâ me hic tam ſperatis onerares gaudiis. Ego verò, qui te, etiam extra hunc ordinem cum eſſes, vel ampliore loca dignum exiſtimarem: teque ab Rege non inſertum tamquam patritium, ſed redditum, tanquam patrem: quique non ab ullo eam acciperes; ſed tu illis adferres dignitatem: non in animum inducere, ut tantillo te momento immutatum putem. Nam profectò non ſolum (ut libere quod ſentio, dicam) mihi major non videris: ſed etiam de magnitudine nonnihil detractum tua tibi, qui eguiſſe videris virtutis tuae teſtimonio alieno: quae virtus de eorum teſtimonio potius judicium facere, quam ab illis accipere leges debuiſſet. Quid igitur exprobranti illi cuipiam

contemptum mei tuum reſpondebo, Attice, ut tam mala in cauſa tanto melior orator, cujus rei tu ſummam mihi deferre conſueveris, eſſe videar? Profectò aliqua fuga barbarus ille eludendus eſt mihi, ne inſolentius illudat nobis. Dicam, te eliciendae longioris epiſtolae cauſâ egiſſe ita mecum: ut & illius temporis quo abfuiſti, longinquitatem & hujus, quod adveniſti, ſarcirem taciturnitatem. Quare ut & defenſionis ratio meae conſtet (quamquam jam haec ſatis longa eſt) quo firmius cauſam hanc ſuſtinere poſſimus, accipies praeterea multa, quae evenerunt nobis, dum tu, aulicus ne fieres, factus es. Ego poſt diſceſſum tuum Attice, quantis ſim affectus ſtati morbi mei calamitatibus, nullâ umquam profecto oratione conſequi poſſim. Ita enim crure dextro, quod maximo olim vulnere accepto diductum fuiſſet, convulſus ſum, ut miraculo ſim iis, qui nunc me ſupereſſe videant. Qui ſi Medicis, quos meo injuſſu coram me & aliud agenti & jam moribundo adduxerant, de ſumma valetudinis conſultantibus paruiſſem, nullum tu quidem nunc haberes Caeſarem. At idem nihilo ſecius adeo immutatus ſum, adeo ab illa priſtina dejectus firmitate,

mitate, ut, nisi meipsum frequentius intuear, vix me equidem agnoscerem miser. Magnum ea res attulit momentum ad atterendas tum corporis, tum animi facultates nostras, ut de fortunis sileam, majus ad inimicorum gloriam excitandam, quorum animos ita sustulit, quasi me jam vita functo, ut metu posito, quinto demum anno veterum inimicitiarum memoriam, quae â me, sane deposita esset, renovarent. Tolosa enim atque Burdegala illicò Lugdunum nuncii Scaligerum non solum rebus humanis decessisse, verum etiam Erasmianis jam calumniarum veterem provinciam liberam concessisse. Quid enim nunc cessaretur? pro quo, qui defensionem susceppturus esset, extaret nemo. Arrepto igitur confestim calamo, Erasmus ad Mervellium atque Laurentium nescio quos scribit, cum de aliis obtrectatoribus suis, quos magno animo alter Socrates, obstinato silentio contempsisset, tum de me, mentitum esse, quae objecerim. Nihil aliud, quam conviciari, furere denique. Ferenda erant haec Attice. Idem enim usu venit animo male instituto, quod & regio morbo laborantibus. Iis flavabilis ob oculos objecta, omnia praeterea flava repraesen-

ſentat. Eraſmus, qui omnium ordinum labes, omnium ſtudiorum macula, omnium aetatum venenum erat, mendaciorum parens, conviciorum ſator, furoris alumnus, ea vitia putavit liberali in animo, nobili in lingua inſidere. Ferenda igitur erant ab ea lenitate atque aequabilitate animi mei, quam & omnes boni notam habet & plebs ipſa vel vulgò concelebrat. Sed ille, cum artes ſuas addit plusquàm Punicas, ut laudati triumphi gloriam meam in alium transmoveat ſycophanta, non fuit ferendus. At enim alieno opere atque labore conſcriptam confectamque mihi vindicaſſe, ut quem hoſtem exhorruiſſet, eum diſſimularet; alium, quem non proderet, contemnere videretur. Quod ſubdoli atque ſervilis ingenii vitium morbumque, tantum abeſt, ut pertimeſcam; ut gloriae adſcribam. Tantam eam eſſe orationem vel â verulentiſſimo hoſte judicatam, tanti aeſtimatam, ut ea me dignum negaret auctorem. Quid mihi potuit, Attice, contingere glorioſius, quam ſupra vires meas, ſuper eorum opinionem, qui ſe fictos faterentur, promoviſſe, atque profeciſſe? Igitur qui levicula concertationum ſtudia intermiſiſſem, reſumere coactus ſum: reſpondique ei oratione

ne totâ ad illos. Mervellium & Laurentium directâ: quorum opera factum eſt, ut & epiſtola ad me perferretur: cum tamen ea de re nullis me literis fecerint certiorem. Eos ego majore humunitate ſum proſecutus, ut quem indignum ſuis literis rati eſſent, ab eo ſeſe perpetuo orationis monumento dignatos viderent. Eam cum de te nihil certi adferretur, muneri miſi P. Rubrio nobiliſſimo doctiſſimoque viro & ſummis neceſſitatibus conjuncto mihi: ſperoque eſſe Lutetiae jam in vulgus editam. Nunc vero quid agam? agam pomum illud cenſeo Catullianum. Excurram profecto, poſtquam ſemel excuſſus ſum. Hoc enim pertinet ad humani ingenii vim, quam orbicularem atque in ſe reflexam Philoſophi illi noſtri autumant. Quorſum? inquies. Ad orationem tertiam, ut judiciis illis, eruditorum hanc quoque adjungam acceſſionem. Illa cum perfecta eſſet olim, & admonitu & rogatu ſupprimebam tuo: quam etiam in animo jam haberem abolere. Quid enim ſaevirem, ajebas, in cineres illius, qui in gloriae meae luce deflagraſſet? Darem hoc amicitiae noſtrae, tuis precibus, bonorum expoſtulationibus, quorum animos ego paulo acerbiore orationis

tionis ductu commoviſſem. Darem humanitati, lenitatique meae, quae non deberet cedere animi hujus viribus. Effeceram. Nunc idem faciam? non faciam. At Romanus ſedendo vincit. Non Eraſmum. Impulſu opus eſt, ut tam tetra bellua loco mota faciat fugam. Vides, Attice, ſi lenius illa in oratione â me actum eſſet, qua impudentia reſtitiſſet ille, qui ad mortis meae rumorem modò cornua ſuſtulit illico. Igitur hoc mihi decretum eſt, ut illa perfida Carthago, illa barbara Numantia tandem â me excindatur: Verum ad alia. Arbitror te Doleti vidiſſe Dialogum adverſus eum, quem non puduit extantibus ſcriptis meis, flexu alio orationis omina mea ſuffurari, atque ineptiſſimis inurere calamiſtris. Itaque eaedem, quae in orationibus, intemperiae, ſtilus paulo minus aſper, ſed emendicatus, ut verbis potius alienis conquiſitis atque corrogatis, quàm oblato argumento, ejus loquacitas excreſcere videatur. At Caeſarem laudat, inquies, accipio. Nam te ajunt ad eum retuliſſe, conſuleret dignitati ſuae: qui temere atque ſtolide nimis ſuper Italico nomine ineptiſſet. A me integrum dialogi apparatum, quo illius oſtenderem & male-

volum

volum animum cum inani gloria conjunctum & praeceps ingenium cum ſtupore & impurum dicendi genus cum loquacitate & amentem dictionem cum impudentia. Ita igitur adblanditum, ut animum meum deflecteret â propoſito, ita laudaſſe, ut ſequi potius aliorum judicium invitus, quam ſuum ipſe libens apponere videretur. Pro ea re data eſt â nobis opera, ut & eum & alium, quem velit ipſe, poeniteat poſthac rabiei illius, ſic impudicae. Audio illum praeeſſe Lugduni librariis, quorum manum emendet. Id quod ſi verum eſt, in iis libris, quos nuper invulgatos â Gryphio aere comparavimus, deprehendunt etiam pueri noſtri vel inſigni ſcutica vitia animadvertenda. Perſtringi eum in hac ſecunda oratione, ſublato quidem nomine, ſed ita depictum, ut vel ab infantibus Toloſanis agnoſci poſſit. Obſervem igitur interim quid rerum geſturus ille ſit, nihil profecto impune allaturus. Qui enim neque modum neque modeſtiam aut in vita civili, aut in impudenti adhibeat oratione ſibi, ei tantundem conſtantiae atque fortitudinis opponendum fuit. Te vero tantum virum, tam probum, tam ſapientem, tam ſanctum favere illi, cum quo abſente

abſente apud me etiam de perfidia expoſtulaſſes. Quid enim perfidioſius, quam amicos inter ſe committere? epiſtolas ad ſe abs te datas invertiſſe? aliis alia verba ſubſtituiſſe? deleviſſe? induxiſſe? Itaque ſcito Pinachium, hac cum iter faceret me ſalutandi gratia officioſiſſime conveniſſe. Ei homini profecto, ſi quid ex oris totius habitu, ex oratione ipſa colligi poteſt â viro non penitus plumbeo, nihil deeſſe judico, quod in Viro civili, eloquente, forti denique deſiderari poſſit. Modeſtiam vero, quaſi tantarum virtutum condimentum eam ipſi â natura comparatam, ut nihil ſupra. Quae fuit cauſa, ut mirari deſinerem, quam ob rem & ei hoſtis Doletus eſſet, facile tantae virtutis obtrectator, & ipſe Doleto neque inimicus eſſet, at ſibi infenſum illum tum ſua, tum amicorum ope liberaliter juviſſet ita, ut daturum pœnas etiam publico ſupplicio liberaret. Is Pinachius, cum â me quam honeſtiſſime acceptus eſſet, eique gratias agerem pro eo, quod, quem tu mihi deſcripſiſſes virum & amicum tibi & bonis omnibus gratioſum, eum ſane & nunc agnoſcerem coram & olim erga me futurum ſperarem: reſpondit paucis, nec vulgatis illis, ita ut intelligerem, nihil inter

nos

nos rerum, quae ad mutuae benevolentiae neceſſitudinem pertinent, defuturum. Quod vero ad praedictionem de ſe tuam pertineret, magnopere mirari, quid apud me privatim de ſua exiſtimatione, quid aliter publice ſentires. Invulgatis enim Doleti ineptiis, ſiniſtrum de ſe judicium abs te latum eſſe, cujus & notares formidinem & damnares levitatem. Ego contra cum id crimen in Doleti intemperantiam, ut tu mihi ipſe indicaras, rejeciſſem? Si (inquit ille) ita tandem eſt, quemadmodum publicis monumentis conſtat hoc, male eum de me ſentire, ita id quoque curet, uti publice item circumferatur, Doleti factum impudentia, qui mihi amici ore malediceret, cum neſciret ſuo, alienoque judicio falſo uteretur, quoniam ſuum animadverteret imbecillum. Hanc enim unam iniri tandem poſſe rationem, qua & tu tibi conſtare valeres ea humanitate, quam ego mirificam merito attribuerem: & Doletus ea impudentia, quam ipſe ſibi in dies faceret ampliorem. Ego itaque, Attice, ita exiſtimo faciundum tibi, uti aut ad me, aut ad alium tales literas des, qualis erat animus ille tuus, cum mecum ea de re verba faceres etiam ſtomachabundus. Præſertim

tim cum hoc quoque noſtrum illum in dialogum, qui cognomine tuo Atticus inſcriptus eſt, referri juſſeris. Neve alia perſona â me inducatur tua, quam te ipſum praeſtare intelligat poſteritas, minusque fidei habeatur mihi aliis in libris meis, in quibus ea â me dicuntur de virtute tua, quae jam omnem expectationem merito ſuperarunt. Conſcripti enim ſunt nuper â me libri ſeptem de ſemine genitali, quibus ad verae Philoſophiae gloriam quae eam ad partem pertinere poſſet, nihil deeſſe videtur. In his quintam ſuſtines perſonam tu, ea omnia diſputans, quae ad Platonicam diſciplinam, ad inſtituta civilia & ad literas ſpectant humaniores. Divinum profecto opus, dignumque quod alio parente foeliciore natum ſit. In quod cum tu omnem ſalem adferas concinnandis ſermonis illius condimentis, ne per te ſtet, quaeſo, quin ego & vere ſenſiſſe & fideliter memoriae prodidiſſe videar. Vale. B. Bucherio optimo ac doctiſſimo ſalutem: qui neſcio an curavit comparandum mihi librum quem fuerat pollicitus, certe nullum recepi.

Vale iterum.

15.

15.

Julius Caesar Scaliger Arnoldo Ferrono Attico S.

QUoniam meo facto eveniſſe dicam, Attice, ut, quem Reipublicae literariae cauſa mihi cum eloquentiſſimo quoque communem hoſtem fecerim, pro eo vos eloquentiſſimorum Principes habeam inimicos? Itane verò tandem, cujus intemperantiam damnaretis, ejus patrocinium ſuſcipiendum ſtatuatis: mihi, cujus ſtudium laudaretis multi, aliquot etiam imitarentur, veſtrâ cauſâ ſuſceptarum inimicitiarum malam gratiam referetis? ut non jam mihi cum bonarum litterarum hoſte, pro veſtra libertate confligendum ſit, ſed illius acerbitas in veſtra lenitate perferenda. Ac quamquam & olim ſentiebam & nunc profiteor quoque, neque vos bonos atque fortes Viros, neque eloquentiae parentem Ciceronem meâ operâ eguiſſe, tamen vel ab imprudente ſi quid beneficii in quemquam collatum ſit, ſi remunerationem non mereatur, at invidiâ careat ſaltem. Nunc vero, ô vanas meas cogitationes, ô perdita conſilia, me alieno in crimine reum ab

iis factum, quos ſi non judicio, ſaltem invidia liberavi, non adverſarii vim repuliſſe, ſed meum hoc ipſum caput petiſſe? Ex hoſtis buſto jam deflagrato excitatam adverſus me in eorum animis flammam, qui ipſi in illius rogum faces conjeciſſent. Proh Dei Optimi Maximi fidem! Nullius alterius ego ſuſceperim cauſam: nihil pro bonis egerim, nihil pro literatis, mea unius curarim, hoc egerim. Etiamne in terra Italica orto, in ea gente agitanti mihi, quae Rom. Imperii excuſſo jugo, omnia prae jure ipſo libertatis ſpreta, deſpecta, contempta habuit, homini libero, ingenuo, nobili, non licebit dicendi libertatem, litterarum florem, Religionis tueri nobilitatem? At hoc quis prohibet? Romani nominis vomica illa? eloquentiae ſcopulus? qui ipſe cum in linguae ſuae conſceleratae poteſtate eſſet, putavit ſe ſapientiae nomen amiſſurum, ſi ſemel deſiiſſet inſanire? Minime. Sed Atticus ille: cui nae ego uni me iccirco ſperabam cariorem fore, quoniam id ſtudium veritatis, quod in omnem literariam provinciam longe lateque diffuſum per me animadverteret, ad eloquentiae laborantis ſubſidium convertiſſe videret: quodque ipſe aut facere debuerat, aut fieri jube-

juberet, hoc â Caesare effectum suo, non solum nolit, verum etiam doleat. Id quod altius, quam quisquam judicare possit, in animo insederit meo. Quamquam & coram alias & per epistolas consilii hujus tibi reddidi rationem; tamen quoniam alio animo satisfactionem accepisti, dabo operam invitus quidem, sed coactus tamen, ut ostendam tibi, nihil â me hac effectum provincia poenitendum. Ac quamquam omnium id primum constat, quàm multa â me in illius monstri ignobilitatem objici potuerint, tamen quia ad eam quam suscepissem causam minus pertinerent, non iccirco omisi, quin omnino convenirent, sed ut meae potius dignitatis, quam illius indignitatis haberem rationem. Ille vero cum propositis sibi alienorum laborum praemiis, omnium ordinum studia commaculare ausus sit, ostendit nobis, qua insisteremus viâ, ut passim grassantem eam coërceremus tempestatem, studiorum nostrorum amore in pugnam provocatus descendi: vici. Quid ais? provocatum negas? victoris etiam irrides titulum? Quasi vero cum bonas nescio quas literas ubique creparet, bonas litteras ab eloquentia Ciceroniana abesse praedicaret, nos, qui, iis in litteris

nonnihil laudis adepti eſſemus non provocavit. Provocabit vos omnes, Attice, eloquentes, vos deſediſtis, parum erat, tecti veſtro praeſidio, facile inimici tela ſine periculo excipiebatis. Mihi, qui à nudis tenerisque civium noſtrorum pectoribus ea defenderim, ſuccenſetis, perſtantem in ea ſententia deteriore conamini: quaſi vero non plus hinc impendeat diſcriminis, ſi commiſſo proelio abſiſtam, quam antequam initum eſſet. Semper Chriſtum objicitis libertati noſtræ. Ipſe igitur Chriſtus ubi tandem eſt, cum Eraſmus eam opprimit libertatem? Etiam Philoſophum decere ſilentium. Etiamne pro alieno flagitio ſupplicium? etiamne interitum bonae famae. At Eraſmus hac ipſa ſilentii virtute diu impetum tulit noſtrum. Ergo quadriennii ſilentium ſuum, animi mei aequabilitatem, quo conſilio tribus ineptiſſimis ſceleratiſſimisque voculis conſpurcavit? ſaltem aut hoc ſic feciſſet initio, aut nunc uberius conſuluiſſet defenſioni ſuae: ut aut celeritate excuſaretur, aut cauſae praeſtantia vinceret. At qui tanta eſſet vel ferreae vocis contentione, mutus repente concidit ilico: ut ne id quidem igitur mirum ſit, cum qui tam bonis auribus utatur, tam male

male audire. At tu mihi cum civilis animi objicis frugalitatem, qua me caeteris praeſtare contendis, quare velis, Attice, tantum boni tanto malo eſſe mihi, ut propterea quod bonus ſim, male habear. Etiamne veſtra in Republica nobiliſſima atque ſapientiſſima Viris fortibus haec ſunt propoſita praemia, ut impotentium devorent contumelias? Quare me jam premis potius, quam defendis illum. Immovero non minus opprimis illum contrariis vitiis coopertum, quam meam elevas dignitatem his ſuffultam, ut ais, virtutibus. Eſto: haec omnia, ut voles. Quid ſapientibus Deo? Omittamus Deum. Quid ipſis Legibus purius, temperatius, divinius? quibus tamen illae aliis moderantur, quam ſceleratis? Neque enim optimo cuique ſcriptae ſunt: ſibi enim Lex exiſtunt ipſi. Tum, Attice, ſceleſto illo mentiente, me vera dicere vetabas? Tu illo errante, me emendatorem corrigebas? Tu illo calumniante, mei mihi defenſionem extorquebas. Tu illo inſaniente, me ſapere prohibebas? Tu illo clamante, me tacere jubebas. Modeſtiſſimum adverſus arrogantiſſimum, ſobrium adverſus temulentum. An vero aut ſilentio deprecabimur, aut fuga

evitabimus, aut aſſenſione redimemus calumniam vexationis ab eo, cui aut perpetui ſilentii jugum impoſuimus, aut in ſempiternam conjecimus fugam, aut in male loquendi compulimus neceſſitatem? Nobilis ruſtico, Latinus barbaro blaterante ſilebit ſcilicet. Poteſt hoc quidem, an ſine nominis atque dignitatis ſuae noxa poteſt: at illius ſupercilio, atque etiam vero metu quis poteſt? At eruditi, inquis, hoc praecipiunt tibi, quorum judicio literarum inſtauratoris nomen ei merito defertur. At nos plebei apud vos eruditos deprecamur extremam nominum noſtrorum perniciem immerentes. Nobis praepotentibus domi veſtrae alienas injurias leni animo ferre perfacile eſt, veſtrarum qui eſtis vindicatores acerrimi, permittite nobis haurire Spiritum iſtum libertatis veſtrae, neque plus poſſit apud vos damnati unius miſeratio, quam damnantium judicia multorum. De inſtauratoris vero nomine quid reſpondeam tibi, Attice? an primum ſcire interſit mea, quos tu eruditos voces, qui per illum profecerint. Egregios vero, qui veteribus ſpretis, in hujus judicio conquieſcant, qui, ſiquid ab illis ſublegit boni, ſuo coeno foedum fecit,

cit, audacia perdita illa, atque utinam profecto perdita ac non etiam caeteros perdente. Instauravit ille litteras? At quas? Quid ille novi attulit? exemplaria curavit edenda quam emendatissima. Num tu eum Aldina una lucubratiuncula conferendum: hujus sordes cum illius munditiis etiam comparandas putas? Omittamus illius labores in alienis studiis, ejus studia repetamus. Quain eis tu litteras instauratas agnoscis? Graes casne? etiamne antea ante vertit Urbano? etiamne Chalcondileo? etiamne Chrysolori? an duobus Lascaribus nobilissimis? Manillone, an Trapezuntio, an Gazae, an ipsi illi Bessarioni? An Latinas? Ergo etiam eae post Laurentium Vallam, Campanum, Volaterranum, Crinitum, Pontanum, Politanum, Picum, Hermolaum, Agricolam corruptae erant? At in ipsis eam, quae continetur, eruditionem aperuit primus. Opinor, quae Calderinus, quae Parrhasius nescierunt, quae Beroaldus, quae Budaeus, quae magnus ille Rhodiginus ignoravit. At historiam pereuntem restituit, melius scilicet atque elegantius quam Sabellicus, aut brevius atque accuratius doctissimo Egnatio, aut purius Pomponio Laeto. Mathematicas vero ille ut instaurarit, quas

etiam inſectatur ruſtice, nedum ut attigerit. Poëticae partes quas illuſtravit, Pontano atque Actio Sincero ſuperſtitibus. Quas ille illis defunctis novas atque olim omiſſas invexit nobis. Philoſophiam opinor objicias: etiamne Ariſtotelicam? quam ne olfecit quidem. At Platonicam. Timaeum novis interpretationibus cenſeo, cujus nobilitatem muſicis numeris obſcuratam alicubi conqueritur ineptus. Video quorſum impellas me, ad Theologiam ſcilicet. Nam caetera omnia pro nihilo habenda. O Attice, Attice, vehementer vereor, ne nimis vera ab iſtis veſtris eruditis praedicentur. Mitto animi illius impotentiam, qua cum omnes artes atque ſcientias caeteras per ludibrium proculcaſſet, decrepita in aetate luſit fabulas, quas etiam ab adoleſcentibus removendas vociferabatur. Ad ipſum Theologiae ſtudium devenimus. Vereor, inquam, ne novam Theologiae faciem atque perſonam induxerit. Quid autem vereor? tota univerſae Religionis noſtrae theatra clamant. Utram vero tandem Theologiae partem auxit iſte, aut illuſtravit? Diſputationem? Illam ille ſubtilitatem ut acuerit, qui ne dialecticae quidem limen ſalutavit. At moralem eam,

quae

quae tota in officiis hujus vitae poſita eſt. Poſt Paulum, Athanaſium, Baſilium, Nazianzenum, Chryſoſtomum, Originem; Dionyſium, Cyprianum, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum ipſum quid adferre potuit novi? Sed uſu venit illi, quod naturae rebus bene compoſitis, ſi quid adveniat praeterea, monſtra ut evadant. Tum autem ne mihi vitio vertatur, toties, tot locis repetere, quod ipſi toties commiſit, ut ſurrepta aliena argumenta nova illa diffarciret loquacitate. Una eloquentia eſt, quam ille reddidit meliorem, reſtitutam, ſuaſit, ſuſceptam fovit. Sane ejus Studioſos amplexatus eſt: alios ad par atque aequale ſtudium incitavit. Agnoſcimus. Me primum in acie, ut ſoleo, conſtituam. Nego quempiam illius ductu atque auſpiciis profeciſſe: nego ullum recte ſapere didiciſſe: ajo, multos ejus perfidiâ inſaniſſe, multos bonis ſpoliatos, multos corpora, multos animum, omnes recte judicandi rationem amiſiſſe. Et quidem adferant nobis illam loquacitatem, ſine delectu verba, ſine ſtudio coagmentationem, ſine prudentia juncturas, ſine mente ſenſa inepta, Aſſiatica, inania. Ea illis ſi probantur eruditis, ſibi habeant, ſi-

nant nobis ſtomachum, ſed Latinum illum: permittant aurium uſum, animi prudentiam, conſilium, ſed Romanum. Ad quod conſilium contemplandum atque recipiendum cum Ciceroniano judicio ex accuſatore factus, ac peractus â nobis reus ſeipſe compuliſſet, collegit reliquias temeritatis ſuae nuper in epiſtola quadam, quam praefixit quaeſtionibus Tuſculanis. In ea ita ſcriptum fuit. Sibi puero atque etiam alia aetate Ciceronem minus placuiſſe; nunc vero tandem cum illo in gratiam rediiſſe. O monſtrum, ô labes non jam eloquentiae, cujus vim cum opprimere conarere, expertus es, ſed dictionis ipſius Latinae. Rediiſſe te cum eo in gratiam, qui cum nulla antea interceſſiſſet cauſa neceſſitudinis. Itane loquuntur eruditi iſti veſtri; quorum cenſura quantum Barbaro illi laudis attributum ſit, tantum accedat reprehenſionis nobis. Monſtrum vero, DEUS immortalis: ſed quale? qui omnia literarum monumenta infinitis pene locis, praeter neſcio quid fictae atque febriculoſae pietatis pro nihilo putet, appelletque ea vitae noſtrae quisquilias, quibus unico in Evangelio ſudandum ſit. Igitur quam tu aetatem faciliorem ad futuram Theologiam veſti-

veſtiendam hoc eſt, ad eloquentiam comparandam conferre debuiſſes, eam barbarico faſtidio ad leviculas nugas ut diverteret, feciſti. Quam ſenectutem nihil niſi Deum ſpirare debere vociferabaris, eam ad contempti lacerratique Ciceronis gratiam, Scaligeri neſcio cujus libertate revocatus, contuliſti. Nonne is es, qui in epiſtola ad Laurentium negas, te umquam male de Cicerone ſenſiſſe: non es is, qui in epiſtola praefixa Tuſculanis repentino numine percitus cum Cicerone in gratiam rediiſſe ſcribis? Cum amico Cicerone ſcilicet in gratiam cum rediit Eraſmus, non facit verbo ſolaeciſmum, ab inimico Scaligero bene de Ciceronianis ſentiendo ſi gratiam ineat, reipſa faciat. Negabit haec ille, qua eſt impudentia ſingulari, negantem plauſu excipient ejus catuli? nos more utrosque ſuo & mentientem & ineptientes irridebimus, alterum impudentem, alteros miſeros. Cum enim aliquando ſuopte raptus ingenii tumidus animi venena literis offundat, nonnumquam doctiorum praeceptis atque admonitionibus impulſus, contra ſentire cogatur, alterutrum poſtea incuſanti cuipiam, ſemper, quod reſpondeat, habet. Non hoc volumus Eraſme, te nunc hoc nobiscum

cum ſentire, ſed contra hoc, perverſe numquam ſentire, hoc vero volumus. Ita flagitium temeritatis levitatis vitio contegit. Et ſunt qui literarum inſtauratorem vocent? At quam aliam, Attice cauſam arbitreris tantae illius apud vulgus ſemiliteratorum opinionis fuiſſe, quam unam illam, delicatum hunc luxum atque ſupinitatem noſtram, qua nobis ipſi indulgemus ad otiandum? Quotus enim quisque nunc profundioribus literarum monumentis ſtudet ita, ut veris ê fontibus hauriat animi cultum? Itaque partim quae ab illo collecta ſunt, tanquam illius ſegetem admirantur, partim tametſi aut ſciunt, aut ſuſpicantur aliunde eum ſuffuratum: tamen eos tam laboris pertaeſum aut pigitum eſt, ut neque veſtigent ipſi, an fideli opera retractarit, neque laborioſi aut diligentis viri ſtudio, puta Caeſaris aut Pii, aut alterius ſcopulum inventum atque indicatum vitare velint. Illud inſcitiae atque ignaviae argumentum eſſe manifeſtum eſt; hoc invidentiae an ſtultitiae adſcribi debeat, neſcio. Eſt & aliud genus hominum, ii praedivites, praeque potentes captant nullo ſuo merito arram plauſumque poſteritatis. Ergo vigilias ipſis ſuas dicat Eraſmus; affert concelebratione

nominum

nominum immortalitatem oſcitantibus, aut etiam ſtertentibus. Laudat animi dotes, quae plus in praedicatione, quam aut in praedicante, aut in captante exiſtunt. Mentitur ille non tam ſervilibus adulationibus, quam inſidioſa auri ſpe, quod extorqueat. Itaque ea ambitione, iis artibus Punicis partim corrupit, partim deflexit, alias deterruit maledicendi impotentia atque tyrannide. Quo factum eſt, ut, qui inter potandum aut nihil agendum, ſeſe repente putant effectos Theologos, ii arreptis illius novis ac praeclaris ſanctionibus, negotium faciant interrogando de rebus dubiis atque periculoſis, de animi noſtri libera actione, electione, judicio, voluntate, de divina deliberatione, de propenſione divinae mentis. Quibus de rebus majores noſtri nimis ſatis diſputatum putabant, ſi vel ſemel ea attigiſſent. Nunc novi homines Eraſmiani clamitant, nihil niſi divinae hiſtoriae contextum perlegendum, nihil niſi quod ex eo ſimplex ſpiret, tenendum. Num illi, iidem qui rejiciunt commentarios, nihil quam interpretantur, trahunt, torquent, rapiunt. Nonne & inverſa & addita verba invenias in Evangelio Eraſmicae interpretationis? Atque de his ſed inter epulas maxime diſputant

ſputant, Eraſmique nomine atque appellatione ſilentium indicunt bono pudicoque ingenio praeditis; quibus eo atque alio tempore cedere, quam moroſa atque incivili contentione pravè dictum ulciſci, praeſtare videtur. Hoc quoque evenit aliquando nobis, ne quid nobiliſſimo in coetu interturbaremus. Nunc vero cum graviſſimis literis tuis ab eo metuendum eſſe mihi minitaris, telaque neſcio quae illius ob oculos ſtatuis, atque ejus impetum cavendum mones, longe aliter evenire mihi atque aliis ſcito. Ego, Attice, ut ab aetate illa viridiori mei tibi renovem memoriam, non ſemper fugientem hoſtem inſectatus ſum. Quos vero in fuga aut forte aut etiam primo impetu nactus eſſem, deprecantes ſervavi multos. Quorum vero ſuſtinendam aliquando mihi impreſſionem propoſuiſſem quemadmodum formidarim, teſtes ſunt cicatrices meae, quas in facie, tacitus, oculis legere conſueviſti. Mihi per Atticum ab Eraſmo metus, quem ego, ut metuere atque etiam pavere diſceret, primus ſolusque ita coëgi, ut orationem meam nunc multorum opera factam ſimularet, nunc ab uno ne confici quidem potuiſſe vociferaretur nunc ejus auctorem

mentiri

mentiri, nunc furore diceret. Ego quo mentiri? quod te putidum atque noctuinum caput, ſpurium in illa oratione appellare auſus non ſum? Neque enim incerti quicquam â me adferri debuit. Verum hoc erat tamen. At non conſtabat. Eras tunc, atque etiam nunc ſpurius es, Eraſme. Hoc multi mihi ê commilitionibus retulerunt noſtris. Verum ei rumori fidem non habui: neque objeci tibi, ne vera compertaque caetera dicenti mihi omnia, non haberentur. Nunc populares tui, aliquot etiam vicini viri boni, nobiles ex inceſto natum concubitu, ſordidis parentibus, altero ſacrificulo, altera proſtituta, qui pater tuus ſemel atque iterum â Pontifice caſtigatus, cum ex illius praeceptionibus ad vetera ſcelera nova propenſione fieret irritatior, exilio multatus, vertit ſolum. Praeclara parente ſoboles, citius Dei oblitus ille, an Deo oblatus, neſcias. Aſcitus enim divinis, eum in ordinem cooptatus, qui â divo Aurelio Auguſtino omnium bonarum artium atque inſtitutionum fonte atque flumine cenſitus eſt, parem ſeſe atque aequalem patriae praebuit probitati. Nam quod ille uni ſibi pro bono recepiſſet, ut commiſceret inceſtus, is univerſae Reipublicae Chri-

Chriſtianae perſuadere conatus eſt. Nam cujus verba illa? cujus ſunt vero? Atticumne hic appellem defenſorem, an Eraſmum reum? an ſubſellia Chriſtiana? Cujus ſunt igitur? (nam quorſum attinet iſte coactus coelibatus.) Non ſunt Eraſmi: neque enim ille proverbia confecit: non ſunt ejus, quae hinc inde collecta in unum coacervavit. Immo vero, ô Viri Chriſtiani, ſi quid ſolidioris eruditionis in illius ſcriptis inveniatis, majorum noſtrorum conſilio atque opera & excogitata & digeſta intelligatis: ſi quae labes, ſi quod venenum offendatis, cavete, Eraſmicum illud eſt. Negato, ut ſoles, tua eſſe verba illa. Etiamne hoc tibi credunt iſti puſiones, atque ajunt me nimium excandeſcere? Uter vero, ille in Religionis ſanctitatem acerbior, an ego in illius acerbitatem gravior? Atque optimus, nobiliſſimusque Atticus, unus veri, aequi, boni Judex juſtus vindex acerrimus, furoris vocem ab Eraſmo objectam mihi interpretatur, quaſi ea appellatione aſperiorem modo aut acriorem indicarit. Nempe. Iſta enim verba aſperi atque acris ignorabat ſcelus. Scilicet Poëtam me aut divinum intellexit, Trophonium, aut Tireſiam, aut Amphiraum,

raum, aut etiam Apollinem ipſum. Atque ais, etiam licuiſſe illi negare, â me confectam orationem, propterea quod amarioribus appellationibus meis acerbius exceptus eſſet. Ergo liceat illi mentiri, qui fabulamentorum ac vanitatum Deus eſt, adverſus eum, qui nullam fere aliam ob cauſam ei eſt factus inimicus, quam quod mendaciſſimum deprehendiſſet. Qui cum proprium ſtultitiae ſit aliena vitia cernere, obliviſci ſuorum, qua defenſione ſalvus eſſe poſſit, cum ea, quae in aliis falſo notat flagitia, ut invulgentur, in ſe ab aliis vera indicata ut corrigantur, neque patitur, & indies pejor fit? Itaque mi Attice, dolere deſinas, inter nos eam eſſe controverſiam, quae aut ſtudiorum noſtrorum conjunctione ſedari, aut literarum nobilitate debuerit prohiberi. Primum enim literarum ipſarum cauſa excitata eſt. Deinde quid ſimile inter nos? Ille ſuperbus, avarus, Latinae puritatis contaminator, eloquentiae everſor, ſtudiorum carnifex, ſubdolus, inconſtans, vafer, vanus, alienae famae aut falſus proſtitutor, furax arrogator, ſui nominis quaeſtuoſus venditator, nonnunquam etiam miſer proditor; quippe quem ſeſe aut id, aut ita dixiſſe negare nusquam pudet. Inimicior

ſibi poſt caſtigationem, quam nobis ante accuſationem. Neque enim de nobis tam male ſenſit, quam miſere de ſeipſo. Etenim verbis nos eſt inſectatus, rebus ſeſe affecit foedis. Tum autem non tam noſtra ſuſtulit, quam delevit ſua. Neque tam cupide ex ſuis invexit nova ad defenſionem, quam invertit vetera ob reprehenſionem. Ego contra, ne quid de me inſolentius dicam, unum hoc profiteor, Chriſtianorum civium peccata tum in re literaria, tum in vita civili atque ea quoque quae ad Religionis noſtrae cultum pertinerent, aut tacita habuiſſe, aut clam caſtigaſſe, aut ſublatis nominibus, quantum in me fuit, correxiſſe. Iſte Pontificum nomina proſcripſit, etiam funere elatis Principibus objecit exilia, quorum viventium probitatem metuiſſet: fabulas de religioſis Viris etiam appoſitis nominibus & finxit, & vulgo proſtituit. Quare idem ingenium, neque animum eundem, neque unum ſtudium utrique dixeris, Attice, commune. Literarias operas, inquies, accipio. Ille, ut commaculet, ego & eluam. Ille ut jugulet, ego ut ſervem. Ille ut evertat, ego ut aedificem. Ubi aut unde, inquies, oſtendes haec? Oſtendam vero multa. Nonne tota

tota tertia oratio mea his eſt onerata monſtris? Immo vero oſtendam nihil. Quaſi non ſatis habeatis ex iis, quae in oratione prima ſcripta ſunt, quantos ego illi errores detexerim ſuos, qui etiam nunc ferula, ſed ignea illa digni ſunt. At inquies, præſtant benefacta. Ubinam igitur ea ſunt tandem? Etiamne ea, quae iſte tamquam penſili verſatilique in ſcena alia voce oſtendit vobis, quae veteres pure atque apte elaboraſſent, illorum hinc gloriam vindicabunt. De ſuo vere ille quid dederit, niſi convexare religionem? Quod tu cum fato quodam immerenti illi eveniſſe dicis, quaſi natus ad excipienda tela exprobrationis, meritis acceptus modis dicitur â piis viris atque religioſis. Quem ſi reſipuiſſe in Religionis cauſa, quemadmodum in Ciceroniana dicis, laudo. At ſane ſic reſipiat, quaſi & Religionem noſtram ejus & ſui eum miſertum ſit. Quare igitur obdurat obſtinatus, quaſi aliter â ſe ſcriptum perſuaſum velit, pergatque contendere. Nam qui ſic ſe defendit, quae fecit, damnat, non reficit. At iſti ſui catelli, fluidum loquendi illius vocant genus & familiare. Ergo qui minus intelligatur, quam quo ſit ſcriptum pacto? O vere fluidum, ô nimis etiam fa-

miliare, â cujus quippe inſinuationibus ne ſepulchra quidem tuta ſunt ipſa. Et ais, illi â quibusdam impoſitum; profecto vere. Pietatis perſonam Mezentio cuipiam impoſitam ſane. Nam, ut verum tandem fatear, mirum fuerit, niſi ego non ſolum ut dicit, furere inſtituerim, verum etiam inſanire, non ut illius teterrimam domitarem animam (nihil enim tantis viribus opus eſt) ſed iſtarum pecudum cum demirer ſtupiditatem, qui eum hominem, qui ſuiipſius promulgationes, ſententias, dictiones aut impudenti negatione, aut infami retractatione turpiſſime damnaſſet, non ſolum venerentur, ſed etiam ipſis anteferant emendatoribus. Sic eſt: ſemper vera laus â vulgi ſordibus aliena fuit: doctiorum contenta judicio: quorum numerus perpuſillus ſemper eſt. At doctiſſimorum animum erga eum propenſum objicis, Attice. Suſtinetur igitur illorum ille potius pietate atque miſericordia, quam ſeſe ſua ipſa virtute ſuſtinet. Eorum ego conſilium equidem ignoro, prudentiam deſidero, morum animique ſimilitudinem valde vereor. Te vero etiam ad veritatis normam vocare nos. At nihil illi infeſtius, quem defendis, quam ea ipſa norma,

norma, cujus ad libellam vocas. Studiorum labem quod eum appellarim, non probas. Ne igitur esto ut hoc donetur tibi. Non esse contendis. Immo vero nihil magis. Nam quale mihi harum inimicitiarum praemium sperarim, nisi quod fortissimis veritatis Patronis proponitur gratia, favoreque posteritatis? At temeritatem incusabit aliquis. Hoc pravis judiciis aut timidioribus ingeniis evenire solet: qui aut nesciant, quales sint sibi provinciae capessendae, aut minus aggredi audeant, quod factum vellent. Virtutem pro fortuna metiuntur, fortitudinem pro temeritate inique ducunt. Omnium vero ordinum maculam cum vocarim, quis tibi ego videor tandem? nonne in quem sese e paternis incoestibus contulerat in ordinem religiosorum hominum, & dum ibi desideret, consuetudine stuprorum contaminavit, & cum desciviſſet, irrisit scurriliter, illusit impotenter, inimice insectatus est, proscidit famosissimis maledictis, quasi vero non in eum vitae flagitia intulisset, sed ab eo adversus eloquentiae atque Religionis puritatem instructus armis telisque fatalis nequitiae licere putaret sibi perfidiae crimen augere impudentia luculenta. Credo, cum

quorundam nebulonum furorem cunctabundum, ſubjectis & futurae gloriae & ſperati ſucceſſus facibus, concitaſſet, illis favit poſtea? immo vero partim metu diſſimulavit, partim invidiam facinoris uti declinaret, publica diremit inter ſe atque illos commercia. Itaque unum ex illorum proceribus hiſce auribus audivi Eraſmi perfidiam ita deteſtantem: Ah peſſimum transfugam ac deſertorem. Certe ipſe & ſuas & noſtras res prodidit inimicis noſtris. Addat & nomen, ubi collibuerit tibi. Tametſi illius animi moderatione potuit ea miſeria, & dum viveret, tolerari, nunc pro defunctis manibus deprecantur maxima praeclariſſimaque praeſtandis ingenii monumenta. Cujus equidem ut miror memoriam, ita doleo, non licuiſſe ei ſuo defungi fato, ſed conjectum in has turbas alienae ſupplicia temeritatis, extrema aetate affectum exilio, toleraſſe. Execrabitur is, tanquam teterrimum caput, noſtrum hunc Catilinam, qui vere & doctiſſimus fuit ne de turba Graeculum quempiam ſuſcitatum teſtem putes & illius factionis popularis, ne amplius praedices, Eraſmum falſo inſimulari. Quid plebem, miſeram Germanicam dicam? ei ordini quanto iſte malo fuerat?

Centum

Centum amplius millia caeſa ſunt, diruta templa, vaſtati agri, virgines proſtitutae. Ne mihi quaeſo obſtrepe, ab eo hoc mali non eſſe concitatum. Interroga illorum viduas, liberosque ſuperſtites, conveni Sacerdotes, conſule Principes exactos, fiſcos direptos, vectigalia intercepta, decimas interdictas, quas iſte novus Deus rapinas vocat. Non licet, inquit, niſi decimatum vinum bibere. Hem Eraſme, vinum? Audis, Attice Janum illum bifrontem, aurei ſaeculi, Saturnalibus, etiam ſervos ad pileum vocantem? Vinum vero decimari ſtomachatur. Hoc illum pupugit, referri in eas cellas vini portiunculam, quam Deus Optimus Max. manu ſua Sacerdotibus diſpartitus, habuit a profanis ſegregatam, in quas olim cellas ſi comportatum non fuiſſet, nullum ille bibiſſet. Si igitur â decimis, quae in ſacris Religioſorum collegiis Viros ſanctos alunt, te ad profanam partem longe majorem, Eraſme contuliſti, permitte illis frui iis portiunculis, quas tu miſeras exiſtimaſti, his fruere beatioribus, neque enim exhauries univerſas. Largiores enim ſunt, quam aut deſerant ſitim tuam, aut defraudent minima illa portiuncula Pontifices noſtros. An non illud vinum ſitiebas, Eraſme, quod illi vitae opellis ſuſtinendis dono acciperent,

ſed religionis noſtrae ſanguinem, cujus tu hauſtibus non tam nominis, quam furoris tui aleres incrementa. Jam illud quoque opinor, defendes, Attice, quod ejus impulſu facinus fecit Belga quidam alieni nominis ſicarius. Is conquiſita coemptaque atque etiam accepta commodato, orationis meae exemplaria, quantum ubique terrarum, qua faceret iter, fuit, igni conſumpſit. Is hujus parricidii quaſi ultionem ſilentium ipſum metuens, praemium facinoris abs ſe divulgati famam petit. O facinus animadvertendum! Eae ſunt artes illae praeclarae, quibus certat Eraſmus. Hos ille habet Lentulos, hos Cethegos. Quorum aliquot cum ſanctiſſimi Judices Pariſiorum vindicibus flammis ab illis ſordibus perpurgaſſent, eos judices iſte novus Heroſtratus pari talione qui non poſſet referire, orationem meam, qua illorum ſententiae ſui ſcripſiſſem, pari ſupplicio ultus eſt. Seipſum tamen, qui luculentiſſimus Rhetor eſſet, percommode poſſit ita defendere. Suo aere emptos libros doctiſſimi cujusque ſecundum atque etiam gratioſum judicium ſpirantis, conſtructis rogis exuſtos igni. Vides publicum carnificem cruentum parricidam, peſtilentiſſimum pollinctorem, teter-

teterrimum uſtorem, qui librorum juſta curat. Quaeris hoc quoque nomen? Tibi dabitur, ubi voles. Jii ſunt, quos tu Philoſophos vocas, Attice, quae eſt modeſtia atque aequanimitas tua. At ii, qui non propriâ virtute atque fortitudine freti, ſed alienis detrimentis atque diſpendiis principatum quaerunt ſibi. Ite nunc, alite eorum inſaniam, deturbate optimum quemque de patrocinio bonae famae, aperite communiteque viam ſceleſtiſſimo cuique ad ea facinora, quae ſi ad Senatum veſtrum deferrentur, capite lui debuere. Etiamne nobis noſtri nominis interitum deprecari non licet, quorum animi venenorum inſidiis ſunt circumventi. Nullus libertati, nullus cultui literarum, nullus incolumitati, nullus vitae, nullus jam ſupremo ſpiritui, nullis denique nominis hujus perpuſillae, perque miſerae umbrae, non luci relictus locus. Haec eſt illa, cujus nomen tantopere celebrant, rem nullam vident, pietas, ut laceſcentem repellere nefas ſit. Vni omnium Chriſtianorum Luciano, maledictis, convitiis, calumniis, ſycophantiis, ſcurrilitatibus abuti fas ſit. Eas peſtes veris Chriſtianis, probis Viris, nobilibus civibus averruncare fas non ſit. Quod ſi

iſtis eruditis neque hoc credimus, neque credemus eruditos? non enim nominis ſtrepitu inflatus, alieno judicio perſuaſus, uno aut altero excuſſo veterum librorum loco, ejus tituli ambitum mihi vindicabo. Eſt, ubi rerum multarum atque perneceſſariarum ſcientiam deſideres, delicatum illud ac fatale otium non deſideres. Age verò eruditi ſunt, docti ſunt, omnium ſcientiarum pleno orbe inſtructi, ſua igitur ipſorum quae recta ſunt, ab aliis probari ſatis habeant, probent ipſi, Erasmicas puſtulas ne probent. Criminis enim participes atque inſaniae potius, quam patroni judicabuntur. Neque enim ita judices ſunt, ut judices ipſi non habeant. Habent vero, atque eos ita habent; ut ita judicent, qui Judex manifeſti peccati reum patrocinio foveat, pari Supplicio dignum. Aetatum vero venenum curâ me atque aliis meritò non dicatur? Nonne nefariis impietatis exemplis puerorum tenellos animos imbuit in trivialibus illis colloquiorum nugis? Nonne in iisdem juventutem â divinis avertit inſtitutis, nonne aetate ſtatâ hominem piſcium obſonia deteſtantem introducit in ſcenam illam ſceleratam? Mirificum poëtam verò, qui de Theologicis ſanctionibus, de divinis con-

consiliis lanium atque salsamentarium disputantes facit, transferens eam sapientiam, quam ipse falsò ac temere profiteretur, ad eas artes, quas ad se referre potius debuisset. Commodius enim de salsamentis ipse, quam ille de abstinentia disputasset. Hæc est prudentia numinis illius, â quo responsa quòd non petat Scaliger, stomachantur. Quare quod privatum odium redolere nostras dicis controversias, cum nullam videas subesse causam, ne amplius obsecro, Attice, putato. Privatim ego ullum oderim? egone illum? nam quamobrem? Ejecit me patriis ê sedibus scilicet, scripta mea oppugnavit, nomen convellit. Nihil vero minus. Immo equidem exulem me verè existimem, nisi me vel illo invito intra Latii fines, ê quibus libros nostros retraxerat, continebo. Immo mea illum scripta expugnarunt. Immo ejus furoris longe lateque grassantis impetum sustinuimus primum, deinde retardavimus, tum autem cohibuimus quoque. Quod vero per virtutes tuas oras, hanc ut ego ei injuriam condonem, facile me abs te optimo atque amicissimo patiar fieri meliorem, dum ille in me deterior ne fiat. Si hoc pro illo tu spondes mihi, omnia de me illi pro te, quae voles, feres.

feres. At ſum Chriſtianus. Quid ille tandem vero eſt? Si Chriſtianus, cur mihi maledicit impudens? Si non eſt mihi Chriſtianus, cur ego illi ſim? Neque vero vitiis cum eo certare in animo eſt mihi. Sed quemadmodum in Jure Civili fit, ita in convitiis uſu item venit. Scis jure ipſo homicidae morte homicidio mortem illatam multari. Idem factum â duobus, non idem eſt. Ita convitium, quo flagitioſi ſycophantae convitia tolluntur, nullo modo eſt convitii nomine appellandum. At dem hoc literis. Immo vero litteris contentionis genus hoc dedi, Attice. In earum ille profugiat ſinum, aram teneat. Satis habebimus. Dem aetati decrepitae. Detur ſane: modo edentula aetas illa ne mordeat. Equidem eam aetatem ſoleo venerari, ſed innoxiam. Verum, Attice, τὰ μεσὰ καὶ ἀδιάφορα. Illa ultrò ſe convertant, atque inclinent, perinde accipienda ſunt. Quid ſi neque modeſtiae neque pudori ceſſerit? Feram? non puto. At hoc Chriſti eſt: at illud quoque Chriſti. Jus ſuum cuique reddere, veritatem profiteri, vulpes, viperasque atque etiam canes appellare. Quare mi Attice, cum pro Gallici nominis, pro literarum, pro Religionis hoſte cau-

cauſam ita foveas adverſus ſimpliciſſimi atque lenjſſimi animi virum, literarum admiratorem obſervatoremque, ſuperborum inimicum, ſtudioſorum cultorem, amiciſſimum atque intimum tibi: ut iccirco te feciſſe dicas, quo meam (ſic enim vocas) eloquentiam excitares: ſanè â me tibi pro illo gratia debetur immortalis. Ille vero, ſive rem confeciſti, ſi ad animum tuum ſpectet: ſive ego confecerim, non tu, nullam debet. De Clodio noſtro, quod altera epiſtolae parte mecum ſentis, levatus equidem ſum onere ac taedio prioris orationis tuae. Quod onus ſi ab reo eſſet impoſitum mihi, ſane incommodum fuiſſet. Nunc cum abs te videam conſarcinatum, pergrave profecto, ac peracerbum eſt viſum mihi. Sed ad Clodium. Etiamne convitiis te nebulo? ô hominem ſceleſtum cujus tu gratia vel cum graviſſimis viris graves inimicitias ſuſcepiſſes. Verum inter caeteros animi illius intemperatiſſimi aeſtus ac tempeſtates, nullo inſigniori morbo eum praedicant laborare, quàm perfidia & levitate. Quamobrem ejus tum amicitiam, ſi qua in pravo ingenio eſſe poteſt, tum inimicitias, ſi quae in tam vili monſtro ſunt aeſtimandae, tantidem faciendas

das cenſeo. De Pinachio vero quod perinde amicè ſcribis, atque candide coram mihi praedicaſti, aeque illi gratulor, judicii tui accedere gravitatem & mihi gaudeo, meum judicium tuo ipſius eſſe comprobatum. Cum vero addis: illius neque humanitate neque odio effici poſſe, ut aut ullo genere humanitatis, aut boni prudentisque Viri officio cedas, profectò qualem me adverſus impuri Catilinae rabiem hortaris, talem te erga Virum Optimum facile oſtendis. Quod vero quaeris, quid ille ſit tuendo nomini Aquitanico animi habiturus, nondum ſatis habeo exploratum. Frigere tamen admodum mihi viſus eſt. Hoc enim conſtanter tenere, atque adeo palam profiteri, mallem injuriam pati, quam facere.

Quae ego illi contra reſponderim, quanquam ad rem faciunt, tamen aliàs inter nos: Hoc unum ex multis: ſine convitiis rem agat, Patriae opem implorantis cauſam ſuſcipiat, quam metu videatur prodidiſſe: ſi nihil de ſe praedicare paratus ſit, ut pro illa ſaltem pietatem colat. Viſus ſum nonnihil hominem non ignavum atque acutum ſuſcitaſſe. Eam provinciam ſi capeſſat ille aliquando, DEus immortalis,

quàm

quàm praeclare confectam dabit. Te vero ac illo silente, quid fiet, Attice? quid enim? illi infereor? At non es Aquinatus tu? quem si despicis ita, ut plebejum quempiam oratorem, cum eo velis committere, videris non meminisse, te non tam adversum illum, quam pro nobilissima patria verba facturum, ex hujus splendore tuo nomini nitorem partum, ex illius obscuritate nihil ignobilitatis, sed ex nobilitate tua illius rusticitatem oppressum iri. P. Bucherio salutem, cui equidem libri curam excidisse video, cujus ne nomen quidem in memoria habeat. Neque enim Galeni librorum pars est ulla, uti autumas: sed Hippocratis opera Graecè scripta. Nam venaticus canis quatuor absumpsit paginas de meo codice, qua parte Polybus de foetus natura scribit. In Candelaei aut Valleae, Bibliotheca esse spero, unde petas. Eum si mihi mittendum cures, erit, ubi referam gratiam: atque librum ipsum biduum ad summum eâ descriptum parte remittam tibi. De Nemesi quod quaeris, an editam in vulgus viderim: Scito triduo, antequam tuas acceperim litteras, missam esse mihi â Sevino Lutetiâ,

Quare

Quare nihil eſt, quod jam non debeam tibi, etiam vitam hanc, cui illam alteram immortalem tuâ iſta humaniſſimâ operâ adjeciſti. Addis etiam nummos? Hui nummos vero? At contra ab illis expectabam. Neque enim quampiam invenias ferè librariorum operam conſultius collocatam. Ita enim probatur ſapientibus, ut me ipſum ea in Tragoedia ſuperaſſe dicunt. Ego quid alii ſentiant, plurimi quidem facio: de me ut dicam, numquam alibi aeque magnis atque luculentis de cauſis placere debuiſſe mihi videor. Vale. Agenni prid. Cal. Februar. 1535.

16.

Julius Caeſar Scaliger Matheo Bandello S. P. D.

QUae res maxime permovere poſſunt animos hominum vel prudentum, vel etiam obſtinatorum, amor & autoritas: eae me huc Bandelle, perpulerunt, ut & mei oblivíſcerer, cum in primis vellem meminiſſe, & alieno juſſu ea facerem, quae alios meo ſuaſu feciſſe nollem. Oſtenderat Eraſmus, quali eſſet animo erga eloquentiam. Ea res cum caeteris omnibus con-

conticeſcentibus, à nobis certo fato agitata eſſet, ab aliis aliter accepta eſt. Apud ineptos plus valet gratia. Cordati pro favore judicio uſi ſunt. Eo tamen res cecidit, ut lenitas mea vinceret, praeſertim ab optimis Viris, quos & illius miſereret & pigeret meae provinciae, eo deducta, ut pro contentione ſtudium nominarent, pro pace proponerent oblivionem: Tu vero, qui eſt amor erga me tuus incomparabilis, cum animadvertiſſes, pervagante illius vaniſſimo Dialogo noſtrarum orationum exuſta exemplaria, illo toties reſtituto, interpolato, emendato, noſtra ulceroſa vix ab auctore dignoſci poſſe, poſtulaſti pro tua amicitia veterem memoriam novis conſiliis inſtaurari. Neque enim aliter videri doctis Viris poſſe, quàm me aut poenitere provinciae; aut diffidere viribus meis. Auctoritate autem ea uſus es, ut negares condonari poſſe vel â me vel ab alio cuipiam eam injuriam, quæ facta eſſet univerſae Reipublicae literariae. Vale.

* * *

In fine harum epiſtolarum in MSto Vffenbachiano ſequentia adjecta erant:

JUlium Caeſarem Scaligerum ſeriò poſitâ omni ſimultate, cum Eraſmo noſtro in gratiam redire voluiſſe, conciliante Jacobo Omphalio Viro integerrimo doctiſſimoque, ac utrique etiam amiciſſimo, ex ejus epiſtola (*a*) ſatis patet. Sed invidia omnibus praeclaris incoeptis fatorum vis non paſſa fuit, duos maximos Viros tanti voti compotes fieri. Vix enim duobus menſibus poſt, quam haec epiſtola ſcripta fuerat, Eraſmus vitâ defunctus eſt. Ex cujus morte quàm gravi doloris vulnere percuſſus fuerit Julius Caeſar Scaliger, ſatis hoc illuſtri de Eraſmo elogio poſteris teſtatum reliquit: quo omnium praeteritarum injuriarum maculas facile aboleri poſſe putamus; idque propterea commode hoc loco inſerendum duximus, ut humanus animus ac lene ingenium illuſtriſſimi Viri omnibus pateat.

De-

(*a*) Quæ legitur inter editas Scaligerianas p. 302.

Deſiderio Eraſmo Roterodamo.

Tume etiam moreris? ab quid me linquis, Eraſme,
Ante, meus quàm ſit conciliatus amor?
Tune etiam? cui tam parvus fuit orbis, ut altae
Expleres mentis fulmina torva tuae.
Ergo ſidereis poſtquam eſt ſubvecta quadrigis,
Atque Dei laeto lingua recepta ſinu:
Ille ego qui inſanae videbam vulnera mortis,
Conditaque Aetnaea tela triſulca manu,
Ad quodvis ſtupeo momentum, ac territus aſto,
Maxima cum videam numina poſſe mori.

IX.

EPISTOLÆ QUÆDAM BALUZII, SCHILTERI, MABILLONII, RUINARTI (a)

A.

Clarissimo Doctissimoque Viro, Frederico Benedicto Carpzovio, Senatori Lipsiensi, Stephanus Baluzius Tutelensis S. P. D.

QUamvis nullum mihi tecum commercium esset, Vir Clarissime, ignotum tamen mihi non erat no-

(a) Has una cum pluribus aliis, in posterum a me publicandis, e Bibliotheca sua instructissima meis benevole concessit usibus Consultissimus atque Celeberrimus Campidonensium Syndicus D. Jo. Christianus Simon, Fautor meus Honoratissimus. Omnes vero ex autographis descriptas dedi, si exceperim primam a Baluzio ad Carpzovium datam, cujus apographum ad Schilterum transmississe videtur Ill. Carpzovis, Optandum vero foret quam maxime, ut plures nobis præsto essent ipsius Schilteri responsoriæ, dignissimæ profecto, quæ e latibulis suis protraherentur: sed pauciſſimarum exempla penes se servavit Vir longe occupatissimus, &c. Aliorum igitur hic manu obstetricante opus est.

nomen Carpzovium, quod inter bonarum literarum ſtudioſos ſatis vulgatum ac celebre eſt, adeo, ut hoſpitem & peregrinum in his ſtudiis eſſe oporteat, qui ejus notitiam non habuerit. Itaque jocundum mihi valde fuit, literas abs te accipere, ut qui viris doctis notus eſſe, ab eisque diligi maxime cupiam præſertim ab iis, qui prima loca tenent, cujusmodi te eſſe, Vir doctiſſime, & jam forma acceperam, & epiſtolæ tuæ fidem mihi faciunt. Quæ videlicet res me cogunt, ſane non invitum, ut tibi gratias agam pro tua humanitate, tibique pollicear animum iſtius beneficii memorem, effecturum me porro, ne te pœniteat dediſſe. Unum tamen a Te peto, ne me iis laudibus ornare pergas, quibus plenæ ſunt literæ tuæ. Tenes enim illud Symmachi anum: *Ut vera laus ornat, ita falſa caſtigat.* Ego mediocritatis meæ conſcius, nec tamen bonæ famæ contemtor, non refugio quidem eam laudem, quæ me deceat, ſed non admodum lubens fero, ſi quis me plumis veſtiat alienis.

1. Sæpe dolui, non eſſe *commercium librorum* inter Bibliopolas veſtros & noſtros, adeoque me oportuit Argentoratum aliquoties ſcribere, ut e Germania veſtra ha-

berem nonnullos, quorum me cupido incesserat. Ego enim ingenia vestra non solum non despicio, sed plurimi facio, ut qui multa bona didicerim in libris Germanorum, quorum satis magnam copiam habeo. Ne vero deinceps huic dolori aut querelæ locus esse possit, avide arripui consilium, de quo ad me scripsisti, & typographo meo, qui idem & bibliopola est, consului, ut libros Germanorum scriptorum acciperet pro suis, & quid pecuniarum vestri blibliopolæ expendere cogantur, neve ipsos libros vestros numerato pretio emat. Postulat itaque, ut huc mittatur Catalogus librorum vestrorum, qui Gallis nostris utiles aut necessarii esse possint, addaturque unicuique pretium; pro quibus ipse, cum eos acceperit, alios e Gallia, quos optabitis, dabit justo item pretio. Sic esse facile poterit librorum commercium inter Gallos & Germanos.

2. Librum *Lactantii de mortibus* persecutorum, minime sane adulterinum, scio veneraberis, quum videris. Continet enim bene multa notatu digna, quorum nulla apud alios auctores memoria reperiebatur; & ejus ope scriptorum veterum errata corriguntur, & recentium conjecturæ falsæ ostendun-

oſtenduntur. Conatus ſum pro ingenii, & eruditionis meæ tenuitate hunc librum emendare, explicare, illuſtrare, Tu tuique ſimiles, Vir doctiſſime, videritis, an meam operam bene collocaverim. Certe in id incubui, ut & Eccleſiæ & literatorum ordini aliquid afferrem commodi & utilitatis.

3. Liber *tertius miſcellaneorum* meorum nunc ſub prælo eſt, emittendus, ſi Deo placuerit, ineunte Martio. Continebit tantum hiſtorias virorum aliquot illuſtrium veterum temporum, initio facto a geſtis Aldrici Epiſcopi Cenomanenſis, qui vixit ſub Imperio *Ludovici Pii*; quibus in geſtis, quæ ſunt hiſtorica, tot exempla bona diſciplinæ, ut affirmare auſim omnes, quotquot bonarum literarum ſtudioſi ſunt, mihi gratias habituros propter eorum editionem. Sequetur vita Sancti Gerardi, ArchiEpiſcopi Bracarenſis, ab ejus diſcipulo Bernardo Archidiacono Bracarenſi ſcripta, in qua multa item ſunt notatu digna, præſertim quoad *hiſtoriam Luſitaniçam.* Vixit autem hic Gerardus tempore Paſchalis II. Papæ. Hanc excipiet narratio de vita & converſatione nobilis viri Pontii de Larazio, qui paulo poſt S. Gerardum floruit, ſcripta ab

Hugone Francigera, illorum ferme temporum ſcriptore. Dabitur in eodem libro vita Dominici Capranicæ Cardinalis, quam vir eloquentiſſimus Baptiſta Poggius, Florentinus, cujus ætate Cardinalis ille vivebat, ſcripſit. Habeo autem penes me magnum numerum epiſtolarum & aliarum *Poggii* lucubrationum, quæ nondum in lucem prodierunt. Sed iſta alii tempori reſervo.

4. Statim poſt abſolutum librum tertium miſcellaneorum tradam typographo aliquot opuſcula magni illius *Petri de Marca* Archi-Epiſcopi Pariſienſis nondum edita, quorum quædam ad Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrandam pertinent, alia ad rem canonicam. Abſolvi autem poterit hæc editio ſub menſem Junium.

5. Poſt Paſcha, niſi me conjecturæ meæ fallunt, edere incipiam primum *Conciliorum* meorum tomum, jam diu ab eruditis expetitum, quem ſubſequentur alii quatuor, ac fortaſſe quinque. Nam quotidie nova concilia emergunt, quorum nullam hactenus notitiam habueramus.

6. Poſtea quum otium ſuppetet, dabo novas editiones eorum autorum, de quibus ad me ſcripſiſti, Vir Clariſſime, utpote quos

quos jam emendatos habeam ad vetera exemplaria manuſcripta, tantumque tempore opus eſt, ut eis ornandis & illuſtrandis aliquam curam dare poſſim.

Hildebertum Cenomanenſem neſciebam ab uno è veſtris fuiſſe donatum nova luce cum notis prolixis. Quum editionem illam videro, ad te reſcribam ſententiam meam; & ſi is effecit, quod ego efficere meditabar, mihi gratulabor, quod ea laborum meorum parte levatus ſim a manu erudita. Si vero notas tantum Grammaticas aut Philologicas addidit, neque Codicibus MSS. uſus eſt ad emendandum hunc autorem, non abjiciam inſtitutum meum. Etenim & elegantis ſcriptoris opera contuli cum multis antiquis exemplaribus, & pleraque habeo, quæ nondum edita, notas porro in eum comparavi hiſtoricas.

7. Vir Clariſſimus & doctiſſimus ac mihi amiciſſimus *Cotelerius* parat ſecundum Monumentorum ſuorum tomum, eumque typographo daturus eſt primo quoque die. Poterit autem emitti in publicum exeunte anno, quem nunc auſpicamur, quem tibi fauſtum ac felicem fore precor. Dominus *Carcauius* nihil hactenus edidit, & valde ſenex eſt. *Lacarrius* vero èdidit Claramon-

ti in Avernis historiam Christianam Imperatorum, Consulum, & Præfectorum Prætorio Orientis, Italiæ, Illyrici, & Galliarum, tum etiam historiam Coloniarum a Gallis in exteras nationes missarum. Senex est, sed tamen ingenium habet vividum, & laboris capax est, Etiamnum prælo committit opus novum, quod brevi exibit in publicum. Titulus & materia libri mihi excidit. De *Paulino Petricorio* nihil est, quod dicam, & primam illam Jureti editionem nondum vidi, si ea in manus meas inciderit, lubens ad te mittam. Quoad notas in illum *Barthii*, nisi sint historicæ & reconditioris eruditionis, typographi nostri nollent ullos sumtus facere in illis edendis. Itaque tutius erit, illas committere alicui e vestris. Cæterum habeo agoque tibi gratias, quas debeo, Vir humanissime, quod mihi amicitiam conciliaris *Casparis Ziegleri*, viri doctissimi, cujus jam nomen & aliquot lucubrationes noveram. accepi epistolam ejus a te missam, cui nunc respondeo. Legi Dissertationes ejus, quæ simul cum Epistola ad me pervenerunt, in quibus facile cognovi, veram esse opinionem, quam de ipso conceperam, nimirum virum illum esse multæ ac variæ lectionis.

Sed

Sed ut libere loquar, quod ſentio, ut meus eſt mos, vellem ut abſtinuiſſet a laudandis nominibus quorundam vulgarium, & ut ita dicam, diobolarium ſcriptorum, quorum nemo è noſtris, modo paulo eruditus, auctoritatem in ſuis ſcriptis uſurpare auderet, quorum tamen ſententias frequentes refert & deſcribit Zieglerus. Spero autem vos mihi ſanctiſſime ſervaturos amicitiam, quam mihi pollicemini. Ego curabo, ne quid committam adverſus reverentiam, quæ veſtris nominibus ac virtutibus debetur. Interim Valete uterque, & me ſemper amate. Lutetiæ Pariſiorum, Kalendis Januariis. MDCLXXX.

De *Wanslebio* olim veſtro pene exciderat ad te ſcribere, Vir Clariſſime, itaque heic in fine harum literarum ad illud tuarum caput reſpondeo. Poſt reditum ſuum ex Oriente, quo a Duce veſtro miſſus fuerat, Romam profectus, apud Viros ſummos in pretio fuit ob famam eruditionis. Deinde arripuit inſtitutum, non Jeſuitarum, ut tu putas, ſed Dominicanorum, & non ita multo poſt huc Lutetiam venit. Ibi aliquandiu manſit inter ſuos Dominicanos, & poſtea in Orientem denuo miſſus eſt a Rege noſtro, ut illic libros conquireret & emeret,

ret, quibus instrui & ornari posset Bibliotheca regia. Aliquot tum annos exegit in oriente, unde immensam librorum multitudinem misit in Bibliothecam regiam, in quibus bene multi sunt & optimi & rarissimi. Hinc redux ad monasterium suum rediit, ediditque *historiam Ecclesiæ Alexandrinæ* in uno parvo volumine. Iterum vale, Vir Clarissime.

B.

Clarissimo Viro Joanni Schiltero Consiliario Aulico Weimarensi Stephanus Baluzius Tutelensis S. P. D.

CItius respondissem ad literas tuas datas Idibus Martiis & VII. Idus Septembris Anni MDCLXXXII. nisi dum fuissem occupatissimus in edendo primo tomo meorum Conciliorum: quo vix absoluto ereptus nobis est Vir Excellentissimus & nunquam sine laude nominandus Joannes Baptista Colbertus. Quæ calamitas quantum me afflixerit, Tibi, Vir Clarissime, relinquo judicandum. Eam porro secuta sunt multa, quae meum cum viris doctis commer-

mercium interruperunt, immo effecerunt, ut ferme bellum mihi esset cum libris & schedis meis. Hinc factum, ut etiam suavissimæ literæ tuæ & opus tuum de libertate Ecclesiarum Germanicarum in oblivionem venerint, tamen etsi certum sit destinasse me ab initio ad te perscribere sententiam de illo meam. Fateor enim atque profiteor, Eruditissime Vir, me commentationes illas tuas, ut tu vocas, magna cum voluptate legisse, tum propter argumentum ipsum, quod est nobilissimum, tum quia scriptæ sunt eleganter & plurima eruditione refertæ. Unum libere reprehenderim, quod me illic laudas supra quam vires meæ ferre possint: cui multum detulisses, si laudasses in me amorem literarum & reverentiam meam erga viros doctos, præcipue vero erga communem amicum nostrum Hermannum Conringium. Sed ut ad opus tuum redeam, Vir Clarissime, valde probavi tuam illam moderationem in scribendo, a qua vestri homines recedere solent, quando de Episcoporum nostrorum ac præsertim Romani potestate tractant & de disciplina hominum ecclesiasticorum. Nam quod interdum in nos insurgis, lubens condono, quippe qui sciam dandum esse aliquid

quid affectui partium, præſertim cum & heic quoque agnoſcere cogar moderationem in ſcribendo tuam. Scripſeram ea de re libere, ut erat noſtra familiaritas, & ut meus eſt mos, ad eundem Conringium: qui, ut erat natura vehemens & calidus, ſibi temperare non poterat, quum occaſio incideret ſtringendi ſtylum adverſus Eccleſiam, quæ Romano nomine gloriatur. Et ille quidem reſcripſerat temperaturum ſe calamum quantum fas eſſet, &, quæ erat ejus ſumma humanitas & modeſtia, gratias egit, quod eum ita monuiſſem, & porro rogavit, ut pergerem. Tu ergo, Vir eruditiſſime, feciſti ſponte, quod Conringius a me perſuaſus facere decreverat. Id quod oſtendit ſuavitatem ingenii tui, ut Ciceronis verbo utar. Cæterum & illud quoque valde placuit, quod homines noſtræ partis interdum laudas, eorumque auctoritate uteris ad confirmandas commentationes tuas. Quamquam maxime vellem, ne vulgarium quorundam & diobolarium, ut ita dicam, ſcriptorum, etiam Gallorum, teſtimonia tanti feciſſes, quanti ea te feciſſe palam eſt. Qui in gratiam eruditorum ſcribunt, debent, ut ego quidem arbitror, abſtinere a laudandis lucubra-

brationibus illis, quæ in præſens ſcriptæ, ad aucupandam nimirum auram vulgarem, non pertinent ad poſteritatem. In quo tamen ſæpe labi veſtrates ſcriptores jam queſtus ſum apud eorum nonnullos. Sed ſatis querelarum.

Quæ ſcribis de auctoritate Conciliorum œcumenicorum & univerſalium, penes quæ ſummum Eccleſiæ jus eſſe ais, non poſſunt non probari ab iis, qui rectum amant & antiquitatis ſtudioſi ſunt. Verum tamen iſta non impediunt, quin ſalva ſit Romano Pontifici ſua dignitas, quam etiam vetera Concilia œcumenica agnoverunt & confirmaverunt: id quod negari non poteſt ab eo, qui guſtum noſtrarum literarum habuerit. Olim quidem, cum ſtabat immenſum corpus imperii Romani, congregandorum Conciliorum œcumenicorum poteſtas erat penes Imperatorem; ſed nunc diviſo imperio, & ita diviſo, ut quilibet Regum ſit Imperator in ſuo regno, tamquam qui optimo jure eam partem teneat imperii olim Romani, non video, quomodo fieri poſſit, ut Imperator eandem auctoritatem habeat ſine conſenſu Regum & Principum, qui ſuperiorem non agnoſcunt in temporalibus. Ex ea porro

divi-

divisione imperii factum arbitror, ut Pontifex Romanus in se traxerit convocationem Conciliorum generalium jam ab aliquot seculis.

Valde lubenter legi, quæ ad me, Vir Clarissime, erudite perscripsisti de Capitularibus Karoli M. Germanica lingua scriptis; & si me vivente contigerit corpus Capitularium recudi, addam tuas illas observationes in mea præfatione. Sunt enim optimæ & utiles. Finem imponam huic epistolæ, si prius te monuero, Vir doctissime, deprehendisse me verum auctorem hujus partis historiæ, quæ descripta est in Chronico Abbatis Ursspergensis, ab initio nimirum usque ad annum Christi MCXXVI. in quo desiit hic auctor. Fuit is Ekkihardus monachus, ut reor, Fuldensis. An autem idem sit cum eo, quem Trithemius ait fuisse Abbatem Urangiensem, aliorum esto judicium. Tu interim vale, Vir Clarissime, & me semper ama. Lutetiæ Parisiorum Idibus Decembris MDCLXXXIV.

C.

C.

Illustri Viro Stephano Baluzio Tutelensi S. P. D.

JO. SCHILTER.

EXspectatissimæ literæ Tuæ idibus Decembr. præterlapsi anni datæ commodum mihi redditæ sunt nudius tertius, cum hic Francofurti ad Mœnum hærerem, cura & comite epistola Clarissimi Arnoldi nostri. Non major mihi thesaurus hoc tempore obvenire potuisset, sive eum respiciam, qui mihi respondit, sive eum, qui id anxie hactenus desideravit, ex silentio aliquid sinistri ominaturus, sive argumentum ipsum scriptionis, plenæ benevolentiæ & amoris plane non fucati. Atque illam Tibi communem cum re literaria calamitatem, quam obitus Excellentissimi Viri Jo. Bapt. Colberti dedit, ex animo doleo, tum & alia incommoda, tum quod rempublicam fructu doctrinæ atque industriæ Baluzianæ per aliquod tempus carere oportuit. Sed his omnibus jam superatis spero cum fœnore magno eximios novosque fructus redituros. Sed quid spero? qui ipse ex illa Tua

epiſtola auro contra mihi ſemper habenda eos jam tum decerpſi. Maximum ſinceri affectus argumentum eſt, quod indicatis iis, quæ placent in meditamentis de Libertate Eccleſ. Germ. etiam quæ diſplicent non diſſimulaſti. Ex duplici itaque capite gratias Tibi ſolvo, Vir Celeberrime, eumque affectum erga me Tuum perpetuum mihi exopto, cui viciſſim omni officiorum genere, quantum pote, reſpondere debeo, meque his debitorem obſequii profiteor atque conſtituo. Plane veteri communique amico noſtro Hermanno Conringio non ſuavitate, ut vocare amas, ingenii, ſed obtuſitate facile cedam. Cæterum allegationes vulgarium ſcriptorum etiam in Zieglero noſtro recte Te reprehendiſſe novi, idque vitium nationis eſſe reor, quod mihimet valde diſplicet, ſed ſi nationis eſt, vix evitari poteſt. Quanquam ſæpe major exterorum fama eſt apud exteros, quam ſuos: quandoque & poſteris de præſentibus quoque ſcribimus. Sed monenti parebo. De auctoritate conciliorum oecumenicorum video unum nos ſentire, quantum ad jus vetus, quo & Romano Pontifici ſua dignitas conſtat: ſed poſtquam jure novo & diviſis veteris imperii Romani Provinciis inter

inter Reges Christianos Romanus Pontifex in se traxit convocationem Conciliorum generalium, in eo quæstio versatur, an eo ipso Imperator seu Imperium amiserit jus convocandi. Non nego, quod Imperator eandem auctoritatem sine consensu Regum & Principum, qui superiorem non agnoscunt in temporalibus, habere non possit. Verum enim vero etsi Reges & Principes illi superiorem non agnoscunt, agnoverunt tamen & divisis jam tum regnis Imperatorem dignitate inter ipsos superiorem, & qui jure directorii in causis communibus Principum & Rerump. Christianarum generales conventus Christianorum convocare possit. Hoc arguit jus imperii universale a jure regni aut principatus, etsi superiorem non agnoscentis diversum, quod in Lib. V. de Lib. Eccl. Germ. tractavi. Quare etsi jure novo Pontifici Romano jus convocandi ab Imperatoribus relictum, id tamen juri imperiali subordinatum censetur, quemadmodum & cæteris Regibus & Principibus independentibus. Quæ de Capitularibus Karoli M. Germanica lingua scriptis annotaveram, non digna erunt illo honore, de quo scribis. Cæterum meditor adhuc editionem aliquam istius juris Alemannici

juxta & Saxonici, hactenus post excessum Serenissimæ Ducissæ nostræ Mariæ Tremovilliæ variis aulæ turbinibus impeditus, nunc vero Jenæ laribus privatis unice literis nostris deditus, quamdiu Domino placuerit.

D.

JO. MABILLONII

Ad

JO. SCHILTERUM EPISTOLA.

Clarissime & Humanissime Domine.

Diu est, quod gratias tibi debeo, tum pro submisso libro tuo de Pace Religiosa, quo me eximio dono honorare dignatus es; tum pro tuis observationibus de palatio Argentoratensi, aliisque, de quibus quod gratias tibi tardius agam, morbus quidam meus, non ita pridem gravis, intercessit. Nunc vero ubi primum melius habere cœpi, nolui apud te negligentiæ suspectus esse, nec differendum censui,

quin tibi quamprimum debitas agerem gratias. Optarem equidem aliquo munuſculo tuæ beneficentiæ quamdam rependere vicem: ſed mihi in præſens nihil aliud ſuppetit, quam nova editio Librorum Sancti Bernardi de Conſideratione, ex mandato Summi Pontificis Clementis XI. nuper a nobis facta, cujus exemplar R. P. Abbas Senonenſis, cui illud conſignavi, brevi tibi tradendum in manus recepit. Sed id quantulum eſt ad munera pene quotidiana quibus nos afficis? Atque utinam vel ſemel te reviſere adhuc liceret, Clariſſime Domine, ut de Pace Religioſa inter nos amice agere liceret. Si bene pectus tuum novi, totum ad pacem & communionem illam religioſam comparatum eſſe non dubito, idque vel titulus libri tui ſingularis abunde teſtatur. O ſi Deus tandem parietem illum medium, qui vos a nobis dividit, vel ſero removeret, ut in unam fidem & communionem poſtliminio demum redintegraretur! Hoc vobis omnibus opto ex animo, & precibus meis Chriſtum interpellare non deſino, ut veſtrates, teque inprimis ad avitam tandem ſocietatem & Eccleſiam reducat. Faxit DEus, ut in illa pace tecum dormiam & requieſcam! Vale, & vota

mea, vel importuna, æqui bonique conſule. Eadem illa ſunt noſtri Theodorici Ruinart, qui tibi plurimam ſalutem, eamque æternam, mecum animitus adprecatur. Iterum vale. Pariſiis XI. Kal. Sept. 1701.

Clariſſime Domine,

Tuus ex animo

F. Johannes Mabillon MB.

E.

E.

SCHILTERI Responsoria.

Reverendissime Pater.

NUllæ mihi a Te debentur gratiæ de transmissis meis quisquiliis, ego vero & gratulor de recuperata pristina valetudine, & gratias ago de transmisso gratissimo jucundissimoque munere S. Bernhardi Considerationum, quod R. P. Abbas Senonensis cum Dn. Fratre mihi obtulit nudius tertius. Librum jamdudum amavi, quum de libertate Ecclesiarum Germaniæ commentatus: nunc quod a Te editus exoscular suavius. Adimpleat Deus O. M. votum quod addidisti. De Pace Religiosa jam tum transactum est inter Germanos non tantum, sed & inter Regem Christianissimum & Civitatem nostram per Capitulationem: sed restat, ut de Pace Ecclesiastica tractetur, quæ vero res ad Theo-

logos spectare videtur. De me recte quidem judicas, atque si sanguine meo redunionem hanc redimere possem, promtissimus fuero: at privatus atque laicus hic nihil valet: atque quum nihil sit in Augustana Confessione, quod desiderem, causam non habeo, ut eam abjurem. Optime enim S. Hieronymus C. VI. in Matth. monet: *Non virtus, sed causa virtutis apud DEum mercedem habet.* Et si a recta via paululum declinaveris, non interest, utrum ad dextram vadas, an ad sinistram, cum verum iter amiseris. Quamobrem ad Ecclesias ipsas & harum Rectores spectat, ut scandalum schismatis tollatur, quod multi cum Ecclesia Romana impossibile judicant, tum propter nova dogmata post Ecclesiam Apostolicam introducta, tum ex causa politica, de imperio sacro & civili inter Imperatorem & sedem Romanam diviso: Ego vero non impossibile judicarim & mecum Frid. Ulr. Calixtus, Theologus Helmstadiensis, in Tractatu superiori anno edito sub titulo: *Via ad pacem.* Ipse hoc anno obiit. Si nondum lectus, & non ingratus fuerit, mittam data occasione. Vale Vir amantissime, & porro pro concordia Ecclesiarum mecum orare non cessa.

ſa. Dn. Ruinarto & omnibus faventibus ſalutem plurimam. Vale iterum. Dab. Argentor. III. Id. Sept. MDCCI.

Reverendiſſime Pater

Tuus ex animo

J. Schilter.

F.

Viro Clarissimo & Eruditissimo Domino Johanni Schilter P. S. D.

Fr. J. Theodericus Ruinart M. B.

ABsoluta tandem est, Vir Clarissime, nostri Gregorii Turonensis operum nova editio, cujus unum exemplar tuo Coq in hac urbe degenti ad te transmittendum commisi, quod brevi, ut ipse mihi testatus est, tuas in manus deveniet. Hoc opus a Te benigno vultu suscipiendum fore spero, quod te adhortante & animum adjiciente ad finem usque perductum est: ac utinam mihi licuisset sæpius tuis uti consiliis ac verbis instrui ad enucleandas, quæ mihi passim occurrerunt, difficultates! Hoc sane mihi utilissimum fuisset. Verum si eruditio aliquando defuit, id semper in animo habui, ut numquam sinceritas desideraretur, potissimum in exhibendis variis codicum veterum lectionibus, sicque fieret, ut si illæ lectiones, quas præ cæteris adhibui, nonnullis fortasse displiceant, Viri eru-

eruditi alias, quæ in marginibus habentur, pro ſuo lubitu amplecti poſſint. Et ſane, ut quidem mihi videtur, plus in ejusmodi auctoribus adornandis valet ſincera ſimplicitas, quam multa audentis nonnumquam temeraria eruditio. Cæterum ſi aliquod erratum occurrat, mihi tribuas velim, & ſi monere non graveris, cum prima ſeſe offeret occaſio, id me ſpondeo emendaturum. Interim me tui obſervantiſſimum amare pergas, Vir Clariſſime. Domnus Johannes Mabillon plurimum te ſalvere jubet. Dabam Pariſiis in regali Abbatia Sancti Germani a Pratis die II. non. Maji. A. 1699.

X.

X.

JACOBI BRUCKERI ADDITAMENTA

Quædam

Ad ſuam de Vita & Scriptis Eliæ Ehingeri Commentationem.

AD pag. 23. not. b. *Errat)* Errat etiam Clarmundus *in der Einleitung zu der Wiſſenſchafft der vornehmſten* Scribenten, *ſo die H. E. N. T. beſchrieben*, qui ait, Spizelium & Sagittarium (in Introd. in H. E. p. 329. ſqq.) referre, natum eſſe Ehingerum Auguſtæ 1528. d. 27. Septemb. conf. Serpil. de Comment. in Pſalm. Dav. p. 306.

Ad pag. 41. A. 1605.) male iterum Clarmundus 1604.

Ad pag. 44. A. 1617.) male iterum Clarmundus 1608. nec accurate Serpil. 1618.

Ad pag. 83. *urbe eum excedere)* defuiſſe Ehingero amicos veros etiam inter ſuos literis ad fratrem Chriſtophorum datis d. 17. Mart. 1630. teſtatur, ubi inter alia: *ich habe doch hie (in Augſpurg) und* in vicinia *den mehrer-*

mehrertheil παραπλήσιας τῶν κακῶν, Jobs leidige Troſter erfahren.

Ad pag. 92. not. h.) Animadvertit jam in iſtam de filiarum Ehingeri pudicitia violata fabulam Auctor *der vernünfft. Urth. von Gel. Leuten p.* 124. Locus vero Serpilii ab Ambergero perperam allegatus extat in Comment. in Pſalm. p. 309. ſq. ubi multis quoque famam Ehingeri vindicat. Cæterum Cl. Joecherum in nova Lexici Eruditorum editione fabulam recoxiſſe, licet addiderit, fuiſſe a me refutatam, miror. Quid enim orbi erudito cum ejusmodi commentis? nonne gravi objurgatione debebat corrigi?

Ad pag. 103. not. l.) Ex Amœnit. lit. T. IV. p. 258. & 262. patet, Ehingerum Schotto MSS. procuraſſe, & Peireſcio ſubminiſtraſſe obſervationes de ponderibus & menſuris Ebræorum, ac MSS. cum eo communicaſſe.

Ad p. 128. inter edita Ehingeri opuſcula referendum quoque: Relatio S. Marci Evangeliſtæ corpus in inſula Augia divite, vulgo *Reichenau*, Epiſcopatus Conſtantienſis quieſcere, eruta ex Bibliotheca Reip. Ratisbon. ſtudio Eliæ Ehingeri. Edidit hoc opuſculum, & notationibus additis Specimini L.

Sco-

Sceletoman. Pontific. adjecit Georg. Dorſchæus Argent. 1641. in 12.

In Epiſtolis quoque ipſe meminit duorum libellorum Dorſchæo miſſorum: Minorica & Antiminorica: it. juſti tractatus 50. fol. Germ. & Lat. *Wo die Kirche Gottes geblieben, ehe D. Luther gebohren?* quæ inductio eſt per ſingula ſæcula doctrinæ de baptismo, cœna, juſtificatione. Num impreſſa hæc ſint, ignoro. Sic & Anti Becani ab Ehingero editi meminit Baillet des Satir. perſon. T. I. p. 75. & ex eo S. R. Buddeus in Iſag. Hiſt. Theol. L. II. cap. 7. p. 1251. ſed nec vidi ego librum, nec in catalogis ſcriptorum Ehingeri apparet, nec ipſe ullibi ad eum, quod ſciam, digitum intendit.

Ad pag. 135. *S. Athanaſii*) Græco exemplari milites in illuſtri Porta (cui tunc temporis 1631. præfui) qui militarunt duce Holkio, nobili Dano, me ſpoliarunt. Ita Ehingerus epiſt. ad fratr. Vel decies verſionem ſe inveniſſe in Bibliothecis aſſerit Serpil. l. c. & R. M. Meelfurer. in Acceſſ. ad Almelov. Bibl. promiſſ. & lat. pag. 29. Epiſtolam vero Schotti integram exhibet Serpil. l. c. p. 305.

Ad

Ad p. 194. *vix haberet)* Confirmant hæc ea, quæ ipſe Ehingerus queribundus ad fratrem d. 24. Jul. 1643. ſcripſit: *Gold und Silber iſt ferne von mir, der ich in meinem hohen Alter meine Bücher muſs zum theil verkauffen.* Vera loquor.

Ad p. 195. *Eſt etiam unum*) Eſt quidem apud Meelfur. l. c. p. 131. Catalogus MSS. quæ ſunt in Biblioth. God. Thomaſii, nihil tamen ibi de Ehingero videre eſt.

INDI-

INDICVLVS
In Melet. Hr. Philoſophica
AMOEN. LIT. T. VII.
& VIII. extantia

I.
AVCTORVM.

Aelianus 248. 300. 321.
Alex. Aphrod. 234.
Antoninus 306. 318. 319. 446. 447. 451. 452.
Antonius Nic. 335.
Apulejus 182. 188. 191. 300.
Ariſtides 194. 327.
Ariſtoteles 181. 300. 306.
Auguſtinus 195.
Auctor Vitæ Pythag. 226.
Aurea carmina 225. 245. 246.
Beſſario 195.
Bayle, Petrus 195. 304.
Bochartus, Sam. 188. 189. 327.
Boëthius 319.
Boivin, Jo. 317.

Boyſe,

Boyſe, J. Ad. 320.
Buddeus, J. Fr. 205. 307. 317. 329.
Bulialdus, Ism. 207.
Bungus, Petr. 212.
Burnet, Th. 185. 187. 195. 203. 210. 215.
Caſaubonus, Iſaac. 300. 329.
Caſaubonus, Meric. 203.
Calanna, Petr. 186.
Chladenius, Mart. 330.
Cicero 183. 236. 237. 315. 320. 451. 453.
Clauberg, Jo. 185.
Claudius, Mamertus 195.
Clemens, Alexandrinus 201. 238.
Clericus, Jo. 301. 324. 325.
Coelius 334.
Criſpus, Jo. Bapt. 303.
Conringius, Herm. 190.
Cudworthus, Rad. 185.
Cuperus, Gisb. 327.
Diogenes, Laërtius 183. 193. 199. 236. 237. 239. 246. 248. 302. 305. 313. 315. 320. 445. 449. 453.
Dodwellus, Henr. 330.
Eunapius 203. 205.
Euſtathius 300.
Euſebius 314. 317.
Fabricius, Jo. Alb. 195. 203. 205. 315. 317. 325. 326. 327. 331. 332. 334. 337.
Gale, Th. 217. 229. 308. 309.
Gaſſendus, Petr. 305.
Gatakerus, Ih. 306. 314. 444. 451.
Gellius, 201. 321. 448.

Ghilini, Hier. 212.
Grabius, Jo. Ern. 331.
Grotius, Hug. 324.
Heumannus, Chr. Aug. 190. 317.
Heurnius, Otto. 301.
Heinſius, Dan. 322.
Hermes, 329.
Hierocles, 225. 240. 246.
Hieronymus, 183. 193. 239.
Hornius, Georg. 322. 334.
Hoperus, 329.
Holſteinius, Luc. 204. 238. 315. 316. 317. 337.
Huetius, Petr. Dan. 189. 303. 321. 327. 440.
Jamblichus, 193. 196. 197. 198. 199. 200. 201. 207. 209. 210. 217. 223. 225. 235. 239. 240. 245. 302. 308.
Jonſius, Jo. 195. 243. 315. 325.
Joſephus, 194.
Kircherus, Ath. 212.
Kuſterus, Lud. 235. 245.
Lactantius, 322.
Leo, Afer. 334.
Lipſius, Juſt. 195. 199. 444. 445. 450. 452.
Lucianus, 194.
Lucretius, 305. 322.
Lucanus, 323.
Lycus, 188.
Macrobius, 231. 232. 233. 321.
Menagius, Ægid. 195. 202. 248. 303. 327.
Meurſius, Jo. 192. 206. 226. 231. 250.
Moderatus Gaditanus. 243.
Morhof. Dan. G. 185. 233. 335.

Morus, Henr. 307.
Nicomachus, 222. 225. 226. 233.
Nicephorus, 325.
Obrechtus, Ulr. 310.
Ocellus, Lucanus. 394.
Olearius, Gotfr. 313.
Oracula Zoroaſtris. 227. 228. 229. 237. 301.
Origenis philoſophum. 219. 235.
Oſius, Stan. 212.
Panſa. Mut. 444.
Parkerus, Rob. 310.
Paſch. Jo. Georg. 205. 211.
Perſius, 307.
Petavius, Dion. 329.
Philo, 324.
Photius, 234. 238. 243.
Plinius, 193. 199.
Plotinus, 336.
Plutarchus, 194. 200. 217. 237. 238. 305. 314. 321. 328. 449. 451.
Pfannerus, Tob. 444.
Porphyrius, 182. 188. 194. 196. 200. 201. 208. 210. 219. 224. 235. 240. 241. 242. 245. 310. 314. 316.
Proclus, 193. 244. 248. 316.
Rapinus, Ren. 308.
Rittershuſius, Conr. 194. 210.
Seneca, 306. 448. 451.
Sextus, Empir. 234. 246.
Seelen, Henr. 186.
Schefferus, Jo. 188. 189. 191. 193. 197. 198. 200. 203. 204. 206. 241. 246. 247.

Simplicius, 224.
Stanlejus, Th. 193. 205.
Stobæus, 190. 226. 238. 248.
Stephanus, Henr. 370.
Steuchus, Eugub. 444.
Suidas, 317.
Suetonius, 209.
Souverain, 233. 331.
Syneſius, 229. 230. 329.
Tertullianus, 106.
Tennulius, Sam. 195.
Theon, Smyrn. 233.
Theodoretus, 248. 327.
Theocritus, 300.
Theologum. Arithm. 224. 234. 313.
Thomaſius, Jac. 319. 443. 450.
Triſtanus, Jo. 327.
Tournemine, Ren. Joſ. 205. 206.
Tzezes, 202.
Virgilius, 301.
Voſſius, Ger. Jo. 188.
Wolfius, Jo. Chr. 185. 233. 335.
Van der Wayen, Jo. 324.

IN-

INDICVLVS II. RERVM.

A.

Abaris Pythagoræ discipulus VII. 198. 199.
Acroamatica methodus VII. 207.
Aegyptiorum philosophia VII. 189.
Anima immortalis VII. 236.
quomodo a mente differat VII. 237.
ex Deo est VII. 238.
a mente distincta oritur ex Sideribus VII. 237.
in corpus detrusa VII. 239.
numeros omnes in se habet VII. 244.
ex Deo secundum Jamblichum VIII. 308. 309.
duplex in homine VIII. 309.
instar fluvii Heraclito VIII. 312.
Arithmeticam didicit a Phœnicibus Pythagoras VII. 188.
Philosophicam invenit VII. 190.
Arabes philosophi VIII. 334.
Atheismus caute imputandus VIII. 333.

B.

BAcchus, mas. & femina VIII. 327.

C.

CAligo, cui numeri dicantur VII. 218. 219.
Catonis philoſophia VIII. 323.
Crateres animarum VIII. 310.
Chryſippus Stoicus VIII. 344.

D.

DEUS Pythagoræ quid? VII. 217.
ex ſe producit ſpirit. VII. 217.
ἀνδρόγυνος VII. 210. 232. 233.
Pythagoræ materialis VII. 231.
Stoicis quid VIII. 452.
Diverſum, quid? VII. 218.
Dorica dialectus Pythagoreis amata VII. 208.
optima VII. 209.
antiquiſſima VII. 209.
obſcurior VII. 210.

E.

EManationis doctrinæ origo VIII. 306.

F.

FAtum Stoicis quid? VIII. 446.

I.

INitiationis gradus VII. 206. 209.
Jynger quid VIII. 299.

L.

LUcretii philoſophia VIII. 322.

M.

MAtheſis cur reminiſcentia dicta? VII. 244.
Mors philoſophica quid? VII. 240.
Moſchus Philoſophus Phœnicum VII. 189.

N.

NIhil ex nihilo fieri axioma gentilium generale VIII. 308. 309.
Numeri idem quod ideæ VII. 185. 186.
in ſe obſcuriſſimi VII. 187.
inepti ad philoſophiam VII. 210.
inepte expliciti VII. 212.
definitio VII. 222. 223.
diſtincti in intelligibiles & ſcientificos VII. 225.
ex unitate emanant VII. 227.
ſunt principia rerum ſenſibilium VII. 234.
objectum philoſophiæ VII. 241.
alimentum mentium VII. 243.
ſcientifici ſymbola intellectualium VII. 243.

Numeri eorum cognitio ſumma ſapientia VII. 300.

P.

PHænices, arithmetices ſtudioſi VII. 188. 189.

Philolaus primus libros Pythagoricos vendit VII. 198. 202.

Philonis ſententia de Ideis VIII. 324.

Plato multa ex ſecta Italica hauſit VII. 181.

præſtantiores Pythagoreos audivit VII. 183.

Ideas ex numeris Pyth. transtulit VII. 284.

Pythagoreos libros emit VII. 201.

eos exſcribit VII. 202.

ad enthuſiasmum philoſ. pronus VII. 213.

aliorum doctrinas profert VIII. 302.

ambiguus VIII. 303.

Porphyrii ineptæ allegoriæ. VII. 203.

laudes VII. 204.

ſynoretiſmus philoſ. VIII. 315. 316. 335.

Providentia Stoicis non aſſerta VIII. 444.

ejus malignitas VIII. 445.

Pythagoras arithmeticam diſcit VII. 189.

arithmeticam philoſ. invenit VII. 190.

obſcuro de illo omnia VII. 192.

an aliquid ſcripſerit VII. 193. 194.

plures hujus nominis VII. 195.

ſua dogmata occultavit VII. 196.

Pytha-

Pythagoras ei inſcripta diſcipulorum opera VII. 197.
ad enthuſiaſmum philoſ. pronus VII. 213.
κοσμογονίαν in φυλογονίαν vertit VII. 214.
Pythagorei ſua occultabant dogmata VII. 200.
libros rariſſime ſcribebant VII. 200.
ſua ſuis tantum tradebant VII. 201.
ſilent etiam inter tormenta VII. 201.
aliis inviſi VII. 202.
celebriores VII. 203.
recentiores dubiæ fidei VII. 203.
unde arcanam methodum didicerint VII. 207.
vernaculam amant VII. 210.
Pythagorica philoſophia omnia obſcure tradit VII. 204.
ejus obſcura vocabula VII. 206.
phyſiologia VII. 214.
duo principia ponit VII. 219.
finis. Deo fieri ſimilem VII. 245.
media VII. 247.

Q.

Quaternio in mente VII. 238.

R.

Romanorum philoſophia qualis? VIII. 320.

S.

SCepticæ philoſophiæ fata Romæ VIII. 320. 321.
Sexus in divinis VIII. 326.
Silentium Pythagoreorum VIII. 206.
Stoicis omnia fluxa VIII. 318.
ſpecies ex objectis emanant VIII. 319.
eorum phyſiologia VIII. 450.
Symbola Pythagoreorum VII. 205.
Syncretiſmus Philoſophorum veterum VIII. 315.
Syneſii Platoniſmus VIII. 330.
excuſatio VIII. 331.

T.

In Templo non pariendum, quid? VII. 240. 341.
Theologia in numeris VII. 244.

V.

VNum quid Pythagoreis VII. 212.
quomodo ab unitate differat VII. 226.
fons numerorum VII. 227.
nomina VII. 231.
ἀρρενοθήλυ VII. 232.
Varronis Philoſophia VIII. 322.
Vinculum Sacrum Stoicorum VIII. 447.

III. IN-

III.

INDEX
In reliquos Tom. VII. & VIII. articulos.

A.

ABælardus opus quoddam ſuum comburere coactus. pag. 160
Alcorani prima editio Arabica prorſus abolita. 379
Aldeberti quædam publice combuſta. 469
Alexandri (Nat.) ſcripta publice combuſta. 470
Anabaptiſtæ Monaſterienſes libros cremaverunt. 105
Anglicana Biblia combuſta. 481
Anticotonus publice laceratus. 362
ejusd. Auctor. 364
M. A. Antonini Philoſ. nummus. 55
Arabes libros combuſſerunt. 89. aquis immerſerunt. 91

Aria-

Ariani libri cremati. 85
Ariſtobuli poëma in aquas abjecit Alexan. M. 367
d'Aubigne (Agr.) quædam publice combuſta. 473
de Joanne Aventino ejusque Annalibus Bojorum. 455
Averroes poemata ſua combuſſit ipſe. 132
in Auſtria ſuperiore libri combuſti. 105

B.

BAlæus (Jo.) multa Anglorum ſcripta combuſſit. 370
Baluzii ad Carpzovium & Schilterum litteræ. 622. 630
Benedicti XIII. Bulla publice lacerata. 358
Berengarius libros ſuos in ignem conjecit. 159
Beverlandus obſcœnas ſuas chartas cremavit ipſe. 168
Biblia combuſta. 481
Biblia prohibita. 344. 475. cloacis injecta. 368
Bibliorum combuſtione magnum operæ pretium facere ſibi videntur nonnulli. 478
Bibliothecæ combuſtæ. 79. 295
Bohemica Biblia combuſta. 483
Bohyræi (Arn.) commentarii in Ariſtot. incendio abſumti. 128
Boſqueti (Georg) liber combuſtus. 489

Bucani (Guil.) Loci communes publice cremati. 490
Budenſes Bibliopolam cum libris exurunt. 97
Bulla prorogationis Concilii, Mantuam prius indicti. 254
Burneti (Gilb.) Epiſtola paſtoralis combuſta. 493
Burrhi (Franc. Joſ.) opera publice cremata. 493

C.

in CArinthia Evangelica religio eradicata & libri combuſti. 104
in Carniola item. 104
Caroli V. edictum in Libros Lutheri &c. 95
Caſtra Romana ad pagum Kloten. 58. 69
Caſtrorum prætorium, tribunal & ſacra. 61
Officinæ & ædificia. 64
Catalonus (J.P.) lucubrationes ſuas combuſſit ipſe. 142
Cenſores librorum Romani quales? 102. 346
Minus Celſus Senenſis. 86
Chingus omnes libros exuri juſſit. 88
Ciceroni ab Antonio incolumitas promiſſa, ſi ſcripta ſua combuſſerit ipſe. 161
Ciceronis de Natura Deorum Libri combuſti. 494
Clavis antiqua. 34
Clemens V. conſtitutiones ſuas cremari juſſit. 156
Clendoni (Jo.) quædam combuſta. 496

Coch-

Cochlear Clotenſe. 32
Cochlæi judicium de Melanchthonis locis commun. 105
Bulla in ejus librorum commendationem. 107
ejus commentarius de vita Lutheri qualis? 108
Concilii Tridentini primæ editiones. 262
Confeſſionis Tetrapolitanæ editio Neoſtadienſis. 294
Conſilium de emendanda Romana Eccleſia. 263
Conſilium de ratione ſtabiliendæ Romanæ Eccleſiæ. 267
Coſmopolitæ (Euſ. Philad.) Dialogi. 483
Cowardi (Gu.) quædam publice combuſta. 497
Crux Chriſti per prodigium creſcere dicitur. 131

D.

DErodon (Dav.) tractatus de Suppoſito publice combuſtus. 498
Dio emendatus. 37
Diſcurſus epiſtolares de ſtatu Reip. Chriſtianæ degenerantis. 269
Dolp (Dan. Everh.) Spicilegium obſervationum de Jo. Aventino ejusque Annalibus Bojorum. 455
Dominicani Lovanienſes libros Lutheri combuſſerunt. 199

Dominicani quales librorum cenſores? 356
de Dominis (M. A.) ſcripta cum ejus cadavere cremata. 387

E.

ab EGk (Oſw.) notationes MSS. ad Annales Aventini. 456
ad Ehingeri vitam additamenta. 646
Elagabali nummus argenteus. 56
Emſeri quidam liber columnæ infami affixus. 357
Eraſmi Opera male habita. 353
Eraſmi Opera combuſta. 498
in Eraſmum epiſtolæ Scaligeri. 554
Eraſmus quam exoſus Monachis. 110
de ejus colloquiis Judicium. 111
Eraſmi epitaphium & elogia. 111

F.

FAbricii Vejent. Codicilli combuſti. 499
Flaminii (M. A.) Pſalmorum explanatio combuſta. 500
Floriacenſis Bibliotheca incendio abſumta. 79
Fogelſangi Lumen veritatis combuſtum. 500
Formula Concordiæ an in Dania cremata? 501
Francus (Nic.) ſuſpenſus, ejusque Priapejorum explanatio combuſta. 502

Fran-

Digitized by Google

Francofurti tabernæ quædam librariæ incendio conſumtæ. 83
Furius (Frid.) de libris ſacris in vernaculam linguam convertendis ſcripſit. 485

G.

GAbbatha quid? 22
Galli (Optati) liber de cavendo ſchiſmate combuſtus. 504
Gallicana Biblia combuſta. 483
Gaza (Theod.) ſua quædam combuſſit ipſe. 144
Germanica Biblia combuſta. 484
Gerſenum pro auctore Libri de Imit. Chriſti quinam recentiſſime venditaverint? 392
Gerſonis cujusdam liber combuſtus. 126
Gotteſchalcus librum quendam ſuum comburere coactus. 172
Grabon (Matth.) libri combuſti. 506
Græcorum Lyricorum opera combuſta. 92
Granderius (Urb.) cum libro quodam, ipſi adſcripto, combuſtus. 507
Gregorii XIII. Bulla patibulo affixa & cremata. 357

H.

von der HArdt (Herm.) Collectanea ſua combuſſit ipſe. 145
Heliodori Æthiopica. 163
Heloti l'Ecole de Filles combuſta. 508

Helvetica hiſtoria in ſuis initiis mutila. 4
Henric-Petri (Jac.) liber combuſtus. 508
Hermogenis hæretici libri in mare abjecti. 367
Hiſpanica Biblia combuſta. 484

I.

JAcobi (Flor.) theſes quædam publicæ diſcerptæ. 360
de Imitatione Chriſti liber quem auctorem habeat? 391. 409
pro Thoma Kempenſi Codices MSS. & auctores coævi plusquam LXX. pugnant. 409
Incus chalybea antiqua. 34
Inſcriptiones antiquæ. 36. ſqq.
Joann. C. XIX. 13. illuſtr. 21
Judæi Chriſtianorum libros comburunt. 371

K.

KEmpiſianæ controverſiæ puncta præcipua. 391
Kempenſi (Thomæ) librum de Imit. Chr. abjudicantium argumenta confutata. 394
Kempenſem (Th.) eſſe auctorem libri de Imit. Chr. demonſtratur. 409
ad pagum Kloten caſtra Romana quondam fuiſſe poſita. 58

Klotenſia antiquitatis monumenta. 6. hórum momentum pro demonſtranda urbis Tigurinæ antiquitate. 73

L.

a LApide (Hipp.) liber de ratione ſtatus in Imp. Germ. 374
Legionum Romanarum hiſtoria. 37
Leti (Greg.) quædam ſua Vulcano legavit. 155
Liber igne dignus. 168.
Liber per miraculum combuſtus. 130.
de Libris combuſtis qui ſcripſerint. 75. Diſſertatio. 75. 368
Libri publica auctoritate combuſti. 84. 463. aquis immerſi. 76. 366. in incendio ſervati. 165. catenati. 348. mutilati. 352. capite truncati. 357. cloacis injecti. 368. feliciter aboliti. 378.
in Libros ſtatutæ pœnæ. 338.
Librorum proſcriptio. 341. prohibitorum receptacula. 351. prohibitorum & expurgandorum indices. 99. 296. 342. 352. triſtia fata. 76. primitus impreſſorum cauſa raritatis. 286. veterum quemnam pro optimo habuerit Menagius & Gaza. 167. vana pompa. 349.
Libri prohibiti majori cupiditate appetuntur. 373
ſecus ſentientium confutandi, non comburendi. 383

Libros ſuos qui combuſſerint ipſi? 131. 295. 371
Lipſius notatus. 39
Lithoſtrota quid? 19
Lupton lucubrationes ſuas Vulcano legavit. 371.
Lutetiæ Bibliopola cum libris uſtulatus. 97
Lutherus quædam ſua combuſta voluit. 157

M.

MAbillonii ad Schilterum Epiſtola. 638
Maroſtici (Ant.) ſcripta igne abſumta. 122
Martelli (P.) opus quoddam ſuppreſſum. 78
Martialis epigrammata quotannis igni injecit Naugerius. 150
Melangæus (Hippophilus). 109
Melanchthonis Grammatica combuſta. 98.
Loci communes. 109
Metrocles quædam ſua rogo injecit. 133
Mezlerus (Th.) libros XII. Carolidos combuſſit. 154
Minus Celſus Senenſis. 68
Monachos quis olim labor præcipue exercuerit? 284
Mujavia libros aquis immiti juſſit. 91
Munſingeri (Jo.) propoſitiones quædam & de iis judicium Magiſtrorum Academiæ Pragenſis. 511
Muſiva opera. 15

N.

NAugerius quotannis Martialis epigrammata Vulcano dedit. 150. ſuas item lucubrationes igni injecit. 151
Neo-Græcum Novum Teſtamentum combuſtum. 488
Nonnus Panopolit. Dionyſiaca ſua combuſſit ipſe. 156
Nummi antiqui ad pagum Kloten eruti. 55

O.

OVidius Metamorphoſes ſuas cremavit ipſe. 143

P.

PAnormitæ (Anton.) poema ſpurcum combuſtum. 474
Paræi Comment. in epiſt. ad Romanos combuſti. 492
Paſquillo Romano Hadrianus VI. infenſus. 376
Paſchalii (Petri) opuſcula. 137
Pavimenti Klotenſis deſcriptio. 27
Pavimentorum origo. 7. ſtructura penes Romanos. 11. varia genera. 13. in Helvetia erutorum numerus. 27
Pauli III. Bulla prorogationis Concilii, Mantuam prius indicti. 254
Pauli IV. in libros ſævitia. 98

Petrarcha ſua quædam combuſſit. 148
Petrarchæ parens membranas combuſſit. 117
Peyrerii (Iſ.) de libri ſui combuſtione jocus. 388
Philippi II. edictum in libros Acatholicorum. 96
Picus (Jo.) carmina ſua ipſe combuſſit. 133. amoribus deditus. 134
Plato poëmata ſua combuſſit. 132
Plinius illuſtratus & notatus. 7
Plutarchum omnibus veteribus antepoſuit Gaza & Menagius. 167
Pœne in libros ſtatutæ. 338. de earum jure & fructu. 371
Polonica Biblia combuſta. 487
Prætorium Romanum. 24
Przipcovii (Sam.) quædam ſcripta incendio abſumta. 127

Q.

QUenelli (Paſch.) ſcripta publice lacerata. 364

R.

de ROma ſui ævi quid ſenſerit Paſchalius? 138
Romæ inopia librorum bonorum recens prodeuntium. 100
Roſerii Stemmata Lotharingiæ & Barri Ducum publice lacerata. 359

Rothenſis Biblotheca in cineres redacta. 83
Ruinarti (Theod.) ad Schilterum epiſtola. 644
Rüxner (Georg.) impoſtor literarius. 370

S.

SAlmaſius ſuarum lucubrationum quasdam Vulcano legavit. 158
Salemitana Bibliotheca incendio periit. 82
Sanchez (Th.) Diſput. de Matrimonio opus ſpurcum. 480
Scaldorum poëmata combuſta. 94
Scaligeri (J. C.) Epiſtolæ quædam. 554. Oratio quædam combuſta. 129
Schappelerus (Chriſtoph.) 280
R. Schemuel ben Meir comment. in Gemaram comb. 126
Schilteri Epiſt. ad Baluzium & Mabillonium. 635. 641
Schoberi in Lutheranorum libros truculentia. 112
Seceſpitæ Klotenſes. 31
Serveti Reſtitutio Chriſtianismi, liber rariſſimus. 378
apud Sinenſes aliquando omnes libri combuſti. 88
Smetii (Mart.) triſtia fata. 129. Inſcriptiones combuſtæ. ibid.
Societas JEſu in librorum exuſtione verſatiſſima. 114

Speneri Catechismus in flammis ſervatus. 166
Spinoza quædam ſua ſcripta in favillas vertit. 155
in Styria Evangelica religio eradicata & libri combuſti. 103

T.

TAlmud comburitur. 87
Theologi eruditi per ignem. 295
Thereſæ de JEſu ſententia de Bibliis. 487
Tigurinæ urbis antiquitas. 73
Trithemii Annalium Hirſaugienſium fata. 123
Steganographia combuſta. 125. ex ejus ſermonibus quædam decerpta. 283
Trithemii modeſtia. 291
Trithemius ſacrarum literarum amantiſſimus. 292
Typographi damnati. 344

V.

VAldi lucubrationes dilaceratæ & combuſtæ. 121
Valincurtiana Bibliotheca incendio conſumta. 83
Vallée (Godofr.) libellus feliciter abolitus. 378
Vaticana Bibliotheca vaſtata. 120
Veru antiquum. 33

Virgilius ſuam Æneida Vulcano legare voluit. 147
Urſatus (Jo. Bapt.) opus quoddam ſuum combuſſit. 171

W.

WAllenrodiana Bibliotheca igne periit. 82
Wechelii (Andr.) officinæ libri combuſti. 370
Wegzeiger zu den wunderbarlichen Sachen der Stadt Rom. 131
Weingartenſis Bibliotheca incendio conſumta. 80. eadem hodie libris probe inſtructa. 81.
Wicelii (Ge.) Conqueſtio de calamitoſo rerum Chriſtianarum ſtatu. 271
Wolfii (Jo.) lectiones memorabiles. 263
Wolzogenii (Jo. Lud.) quædam combuſta. 127

FINIS.